Joannes III. Sobieski.
Poloniae Rex

(Sobieski J.)

Provinciae Polon. S. Piar: Monarchia duorum Imperiorum —

MONARCHA
DVORVM
IMPERIORVM,

Vnius seuerissimus Vindex, alterius verissimus Vindicator, Debellatorum & Bellatorum Primiceri9; Dominus dominantium Orientis; Terror Tyrannorum; amor & Amator Ciuium.

SERENISSIMVS
AC
INVICTISSIMVS
IOANNES III

DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNVS DVX LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MAZOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODLACHIÆ, PODOLIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆ.

Dum primum auspicato post Viennæ, eliberationem : Strigonii expugnationem : Turcarum deletorum & pulsorum ex Austria Victoriam : nec non nuperrimam ad Camenecum, & Tyram contra Turcas ac Tartaros felicem expeditionem, Varsauiam Triumphator veniret,

A

Subiectissima Maiestati suæ Scholarum Piarum Prouincia Polona.

SALVTATVS.

ET

Eo Nomine ita suæ Virtuti ac Fortunæ debito, atq; ab obligatissimis Regali Beneficentiæ clientibus, collecto in pennam, profuso in paginam, dum frequens Senatus, & Eques Polonus ad Generalia Regni Comitia, Anni 1685. conueniret.

ACCLAMATVS.

Anno Domini formam serui accipientis 1685.

VARSAVIÆ.
TYPIS Collegij Scholarum Piarum.

DOMINVS NOMEN ILLI. *Psal. 6*

NOMEN quod terras impleat omnes
Eſt mihi, menſuram Nominis ipſe fero. *Oui.*
- - - Me vel ſola tueri
Fama poteſt rerum, toto quas geſſimus orbe
Et nomen quod mundus amat - - *Lucan.*
Infinita eſt propemodum illa poteſtas, quæ
induſtriâ vtitur. - *Saauedr.*
- - Regum cognata potentia cælo. *Barcl.*

AD

SERENISSIMVM & INVICTISSIMVM D.

D. IOANNEM III.

DEI Gratiâ Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Podoliæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæ.

Dominum Clementissimum

PRÆFATIO.

Salve invicte Parens non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo. Sil. Ital.

NEq; enim alio nomine salutandus nobis REX SERENISSIME *venis: quàm Patris Patriæ, qui parturis innumeros augusto pectore mundos; ut licet metas rerum nobis fortuna præfigeret, tamen Tuæ adhuc spatia dilatarentur charitatis, ad augendam Reipub. amplitudinem. Toties Patriam quamvis vel cineri proxima esset (ut illam solis volucrem) creavisti, quoties felicitate Regiminis recreavisti; si idem sit recreare, quod rursus creare. Ambitiosa tamen fortasse esset creaturæ tuæ propensio in Te, si nos minorum gentium vulgus filij Tui nominemur & simus; nisi tuam Maiestatem à DEO haberes; quòd etiam minimorum inter creata culicum opifex appelletur. Ideoq; elabentibus annis, perennabit Tua in Tuis gloria, & meliùs quidem in Tui amantibus, quàm vel in obfirmatis ad omnem malleum adamantibus. Singulæ ferme horæ Tuis mensuratæ facinoribus ævum famæ conficiunt, imò breviora alijs sæcula, quàm Tibi momenta, ad regiè & egregiè agendum, cum possit semper regimine*

\- - - - - - Summo
Cæsaris una dies, in sæcula mitti. *Lucan.*

Nunquam feliciùs expendit tempus Polonia, quàm sub auspicio Tuo, ubi quilibet stupet ipse labores, annus, aliàs steriliter transmissos, inter perditos numeramus. Per Te repulsa, quæ extremè extremis terris Austriaca Capitolia pulsabat barbaria; Deliquio contabuit Turcica Cynthia ad obtentum Vmbonis Tui; Porus Alaxandro, Memnon prostratus Achilli, Tibi

fastuosissimus ad Viennam Wezyrus. Adeoq; fugatis hostibus, & stratâ per limites orbis barbariâ, nunc debellandis cordibus subditorum venis, in eo tamen non formidabilis, quòd inermes Te facilè accedamus, quem tot millia armatorum fugerunt: ut nihilominus vectigales, & tributarios videas, pagellam hanc in munere ferimus, & vel ideo gratiorem speramus, quod ex Tuis concinnatam, cum etiam

Iupiter Ambrosiâ satur est, & nectare vivit,
Nos tamen exta Ioui, thura merumque damus. *Ouid.*

Nec ideo ingrati futuri, quòd iam narrata dicamus; nihil enim antiqui apud nos, præter famam Tuam, omnia in recenti orbis memoria. Non ita res geris, ut senescant, laureata facinora Tua situm nesciunt. Hoc unum antiquissimum erit, quòd simus

MAIESTATIS TVÆ

Subiéctissimi clientes

Scholæ Piæ Provinciæ Polonæ.

PANEGYRICVS.

EDormivisti saltem aliquando, illam illam crapulam, abstemio aliàs & religiosissimè semper in siccis Baccho, sobria vini, nimia tamen cruoris populorum, edormivisti barbaria, in quam te helluo Sanguinum Mars tuus, ad oblivionem pænè humanæ conditionis, adeo terali amystide è succiso provinciarum jugulo propinatâ ingurgitatam resolverat; ut altæ secura quietis, nonnisi buccinante in aurem Polonâ famâ scires expergisci. Lunaticus nimirùm populus quidquid vel primo somnio apprehendisset, impresso ad perpetrandum phantasmate à sua nativa Luna trahebatur, vix unquam efficaciùs horoscopo radio nocturnas grassationes in genituræ suæ mentibus, vicinissimo terris radicante Planetâ, quàm Turcicum Sidus, super calcanda templorum pinnacula induceret, ad consciscenda parricidia permoveret, ad excidia regnorum fanaticas indoles inflammaret. Provinciarum spolia, Monarchiarum fortunas planetares hi Endymiones sibi sternebant ut cubarent molliùs, vel sub jugum, vel sub jugulum ditiones & terras rapiebant, semper somniantes Timothei in capturam Vrbium sibi expansa retia, donec *Voce clamantis* IOANNIS III. clarissimo nomine, vel tunc maximè cum ferreus urget somnus & in æternam clauduntur lumina noctem, essent expergefacti. Toti quanto ad Chocimum immersa Tyræ nimiis soporata successibus Thracia & sentire aut excitari non videbatur, quousq; novissimè totus in eam infunderetur Danubius. Cecinit in aurem barbariæ fama publica gratiosum Nomen Monarchæ nostri, & statim in prima IOANNIS syllaba IO triumphale exhorruit. Increpuerunt martiales tubæ vecordiam, perstrinxerunt audaciam, & tunc contra veterum commenta laboranti Lunæ æra obfuerunt. Detractum est Luminare Turcicum planè cælo, docu-

mento, precibus olim ab âſtris Lunam devocâſſe ſagas, nunc ſagum Martiale ex ſuæ fortunæ ſphæra in pulverem viribus deijcere. Et hæc eſt graviſſima incantatio hoſti, ad lachrymas compellere, nec operoſæ viribus herbæ ſenſus oculosq; fallere, ſed mucrone refellere, non magicis artibus, ſed giganteis artubus proſternere. Ab Erebo adiutores implorat manes, cui deſunt in hoſtem manus, necromanticas vires adhibet ſuis diffiſus. Maximum à virtute ſubſidium, cæteræ baſes quibus ſpes noſtra nititur labiles; Sibi quisq; firmiſſimè inhæret. Solus Atlas ſecurò in Herculem deponit cælum; Solus LEOPOLDVS in IOANNEM ſuas transfert curas, & pondus univerſalis belli ſuſtinendum ſuffraganeo illius imponit humero. A cardine revulſurus erat Imperij Romani ſedem immanis Machometes, né, everſo orbe, inter Auſtriacæ ſonitum ruinæ, inter fragores Martis, inter concidentium regnorum ſtrages, nomen Chriſtianum audiretur. Sed non arundini ſe Baptiſta comparare debuerat, quando IOANNES noſter proclivem trudentibus jam fatis in præcipitium orbem & laborantis pondera ſæculi, & deprælíantium funera regnorum conſilio humerisq; ſtitit. Scipionem iterum in illo ſuffulta adamavit Roma, ſed qui ſimul eſſet Africanus, Aſiaticus, Americus; tres partes euertit Orbis, ut unam ſuſtentâſſet. Et verò Annibal pro ſua Carthagine; Hector pro nativa Troia; Achilles pro Græcia; IOANNES pro DEO bellator: plus aliquid Romanâ propoſitione egit, focos in acerrimam tutelam ſuadente; hìc vivacior fomes generoſam accendebat mentem, né ſola domus, ſed etiam vicinia Polono robore conſervaretur. Vnde vocalius nomen cæpit habere IOANNES, quàm in ſurdo illo Palæſtinæ antro, conſcijs tantùm illud ſuſurrantibus ventis, illud collisâ aurâ arboribus nonniſi narrante: ubi jam de IOANNE audiunt, de IOANNE dicunt, & qui ſupinis præcipitem rotis Solem reclives Americi vident, & qui ſub Eois renatum ſuſpiciunt remeare cunis. Adeoq; unde ordiri laudes tuas poſſet Orator REX SERENISSIME in ambiguo hæret, cum ubiqué jam conſummatæ gloriæ IOANNEM pro declamatore in Nomine habeas, ut quidquid regaliter agas, ille præco & præcox famæ Tuæ prodromus, ibi jam narrationem & hiſtoriam facinorum antiquatam faciat, quocunq; etiam Pegaſis vecta in-

cta ingenia pro panegyrico excurrant argumento. Coelo nomen tuum intulisti; terras Te ipso implevisti; Magnorum feraci Macedoniæ famam infregisti, postquam Poloniam etiam non sterilem eiusmodi pignorum (*si Tibi æquales aliquando potuerit proferre*) demonstrâsti; laboribus Herculeis gloriã minorâsti, ubi sine Scopo & Gadibus gloriosus esse non desinis. Difficiliùs est calamo tot invenire literas, quot Tu vel hostes perdidisti, vel Cives conservâsti: omnibus absolutus numeris, absq; numero virtutes computas: togata sæcula reducturus patriæ, chalybe & ferro ætates duras exuis: hucusq; ceu captivos & in calamitate annos gementes, jam pretiosiore pacis monili gemmantes reducturus es. Quidquid demum agis prodigium esse diceremus, si apud Te consuetudo non esset, ea perficere, quæ apud homines non sunt absq; miraculi veneratione. Fastos ista latent portenta Gabinos, quæcunq; Tibi ludus erant ad acrem Martis aleam, ubi quàm prospera sors ceciderit ex cadentibus à mucrone bellico collegimus; Sed.

Dicere difficilè, quid Mars tuus egerit illic:
Quosué neci dederit, quotvé quibusvé modis. *Ovid.*

In armis consistunt literæ, hastam & ferrum videntur capere, nullus non cataphractus apex calamo vult prodire, omnes in quandam sese coordinant aciem, & facto agmine addensant paginam, ubi armatæ laudi Tuæ militandum est REX SERENISSIME. Martis tui metationem castrorum Regijs auctorata stipendijs sequitur militaris Suada: quâ parte fortia tuorum posuisti pectora, eâ armatos & illa sensus constituit; unde imbecilles hostium titubabant catervæ, inde profligatis similes dictiones, & palabunda quodammodò oratio latebram quærit, victoriosâ eloquentiâ datis sibi habenis strictoq; supra fugacem stylo sese invehente; ut area hæc non minùs in prælo, quàm in prælio pugnax videatur. Quoties enim calamus tua haurit encomia, aut aurum imbibit ad characterem dicendi poliendum, aut turpem ex hoste saniem, ad putrem illius famam magis deformandam. Manes ipsi enectorum dictant scribenti afflictiones suas; èx cespite producta manu indigitant unum esse IOANNEM barbaris formidini; tumulos suos pro ponderosissimis intra laudes illius bellicas periodis monstrant situandos. Ille ille ipse Chocimensis Tyras qui corporibus clypeisq; *Victor[ia] domestic[a] Serenissi[mi] Regis e[t] Turcis* *Ad Choc[im]*

peisq;

peisq; simul galeisq; cadentûm tectus spolia ex hoste rapuit, pleno se vehit in calamum ostio, ad toto alueo fundendas illi victoriæ literas: bellicam hucusq; ex scutis videtur portare testudinem, sed eo ipso non segnis cum testimonio virtutis usq; in Oceanum citatissimo festinat flumine; alumna adhuc sua Numina ijsdem manubijs armata tenens, quæ ad annuam facti memoriam per utrumq; marginem triumphalem ducendo choream pænè ad superbiam raptis vestiuntur exuvijs. Trophæum illud ad Komarno erectum ex viginti millibus Tartarorum cæsis eò admirabilius, quò perennius. Incarcerare ventos magna potestas Æolo, sed agente nimbos ocyor Euro Scytha cui coërcendus esset, orbis illum adhuc non vidit, nisi IOANNEM nostrum, qui, cum alteri etiam ex sepulchro fugeret, ventosum hunc in compedes arctavit hostem. Adhuc in illis siluis cadauere plenis Eremitam IOANNES voluit egisse, cum deletis hostibus solus & unicus audiebat triumphator. Siluestres Deæ crediderunt tunc venationem institutam esse, sed Parthos non pardos trucidari viderunt, quàmuis velocitate & ferociâ æquales; ideoq; populeam tanto populatori texuerunt, priùs quàm ad auream patria inuitâsset. Et sic vix bene posito diademate coronatum eleuauit verticem, illicò aurum exuere regale ingruens belli necessitas iussit, galeamque fumante adhuc è nuperrimis cladibus capillo impressit. Excubitorem aliquem pro salute Patriæ sui Nominis poscebat Zorawno, vigilem in occurrendo periculis, cautum in amoliendo hoste, ipso obseruantiorem grue; qui tamen non vno pede staret pro fortuna publica, sed vtrâque obnixus plantâ obluctaretur fatis. De limitibus tunc nobiscum disputatũ venerat nimijs semper laxans vota decempedis Turcia, cui nè latum vnguem cessissemus, nisi ipsa Vkraina quasi à præscindendo vocata tunc abscindi debuisset, & revulso Cameneco viciniora abstrahi: veluti subuerso ingenti monte, & arbores secum hiatus rapit. Agnouit tamen ibi nec terminabile, nec exterminabile esse Polonum nomen barbarus expostulator, datis sibi conditionibus prior contentioso excedendo campo. Vt tamen aliquid de Maiestate, remittamus, fateamur necesse, quòd iam tunc dubijs nostra nutabant Pergama fatis, nisi Tu iam pænè ruenti lapsuroque humeros obiecisses orbi Polono REX SERENISSIME. Indeq; cũ

[Margin notes: Komarno. / Zorawno.]

terræ

terræ vbique gloriosa impressisti vestigia: aquam hostili sanguine decolorasti, vt vix Strymonos impia tanto stagna cruore natent, nec spumifer altiùs Ebrus Gradiuo bellante rubeat: cum sub frigido Ioue puro celsum caput aére septus vigilias agendo, cælo innotuisti: cum triumphales ignes toties nomen tuum detonuerint, ex quatuor elementis coagulatam nouam manuum tuarum creaturam famam tuam, mirabilis in factis tuis condidisse iudicaris. Verè Princeps pacis ex prophetia expectatus concussam bello perenni patriam respirare fecisti, quando aliter mori nobis non licebat nisi succiso iugulo, nec Parcarum forficem vitalia stamina nouerant, sed vel mucrone bellico secta rumpebantur, vel alligati in captiuitatem Ibericis nodis, non forte sed durum filum vitæ trahebamus. Verùm grandius te opus manebat, cum aperto rictu orientalis Draco totam voraturus Christianitatem, exitio impendebat vniuersorum, cuius rabiem vt sisteret neminem Orbis habuit, te vno excepto quo cum pugil hic semper victus ex athletica abibat. Vaticana vox prima erat: Vicisti domi; idem loquebatur Austria: Vicisti domi; idem tota Christianitas: Vicisti domi, nunc tantis mærentem funera lustris Ausoniam purga bello, nunc tende remotos in Garamantas iter, Nasamoniacosq; triumphos molire. Gratulare tibi Polonia, quòd sub tuum præsidium orbis confugiat, proteges enim æstuantis caput Vmbone Serenissimo, propugnabis facilè habendo IOANNEM, adhuc à Sacro lavacro zonâ pelliceâ accinctum, ut modò etiam non impar esset baltheo militari: Cum tamen in magnis decet consilia rebus tarda regnantes sequi, non illicò Monarcha noster inuitanti gloriæ obtemperauit. Nihil enim ex præcipiti audaxq; petendum, ubi consilio diutiùs laborandum, quàm semel temeritate pereundum. Librare diu grandes fortunas juvat, nec attrectandæ sunt manu, si retineri in sua integritate non possunt. Diu virides creuêre lauri, & æthereæ cedrus æqua nubi, diu de laurea suis operibus meditandum. Solis tantùm concessum oculis ut in ictu sua objecta tangant, intellectus ea diutiùs oberret, né semel erret. Phocaica est illa desperatio, ut ea ferventi desiderio inuadas, quæ primum intuitum specie suâ titillant. Non statim horrendum scopulis euicisti pelagus, quia leniora in portu aura impleuit carbasa: ex altero littore navigationis tuæ metire fortunam.

Ab exte- nis inde- fensione invitatu[s]

Delibe[...] cum R[...] subpe[...]

tunam.

tunam. Vocabat incomparabilis fama tutorum nomina Polonis imponendo, diſtinebat immanis robore hoſtilitas; ſuadebat facilis ad audendum virtus, non erat conſultum ut Machometes reprimi difficilis, opprimere facillimus laceſſeretur. Non juſtum videbatur ſociam navim ſorberi fluctibus, jamq; fatiſcentem in ipſo mari Lethen naufragis propinare: ita nihilominus juvandi erant pereuntes, né perderent; tabula merſabundis non vita porrigenda. Ideò dignoſcebatur hic ſpecioſus arma in Turcam ferendi titulus, non quia aliquod in illo periclitanti incendio Viciniæ moliremur, ſed accuratiùs molliremus malum, faciliùsq; flammas à tectis Vcalegontis ſubmoveremus, né tamen aliundè furtivus graſſator in domos noſtras irrepſiſſet. Diſputavit nodoſam hanc propoſitionem Reſp. totâ hyeme, nec refrixit charitas, aut Martiali ſpiritu non incaluerunt conſilia licet graviſſimè ventilata: nec ipſe Capricornus vix acuentem cornua bellicum arietem expunxit tunc ab aſtris infeſtiſſimus. Bacchanalia tota martialibus exacta meditationibus, Liber Pater nulla eo anno feſta habuit, omnibus in templum Martis confluentibus; frugales feriæ ideoq; frugi erant, ſecuta poſt orbis totius ex abſtinentia ſalute. Quadrageſimam ex adverſo non jejuni conſiliorum fregerunt conſultando, nunquam magis fraudando genium, quàm ubi publicis curis exerceretur ingenium, nec commodi nec incommodi habito intuitu. Quantùm hîc ſudoris regali fronte emanavit, ut non anhelaret Chriſtianitas, proprio illam animando ſpiritu? quantâ fatigatione continuati in Senatu dies? ut rogari debuerit ad parcendum ſibi infractus princeps: Exue curis pectus, & aſſiduo temet furare labori. Privatis ſuſpirijs compati illi niſi hyrcanum pectus non noverat, aut excerebratum caput non intellexerat, ubi perdius & pernox ſenſus pugnantes concordabat. Apollinem tunc alium orbis Chriſtianus non habebat, cujus oraculis & Numine ſtaret niſi Monarcham noſtrum, qui ferventem oppoſitis Rempubl. ſententiis moderabatur. Et ſi fabula eſt movente Iove caput, totum quaſſari cælum, hîc ſeditioſas bellis in quietem componendas vidimus terras, ubi Princeps noſter primam ſuper hoc movit cogitationem. Aliis nullum non lapidem movere opus, & tamen futilis murus cingendis eorum fortunis ſurgit. Gratis pleriq; Siſyphi tantas mente

evol-

hyeme itia ſu- r hoc.

ra Se- ß. Re- in unio- rmo- cum era- ore.

evolvunt moles nunquam ad ſummum votorum perventuri : Rex noſter in manu fata, in manu conſilia habet, ut cuncta ſupercilio moventis fiant, quòq; annuentē oculum flexerit, eò & mentē Senatûs. Et vel inde REX POTENTISSIME tuā regnandi induſtriam mirabuntur ſæcula, quòd, non Tibi tradidimus dociles ſervire Sabæos, aut aliam peruſti ex jugo colli natio-nē, ſed Romani, qui cuncta diu rexêre, regendi : quòd in Reges Regem maximum ſcias agere. Facile dominium ſuper natos & deſtinatos à fortuna ſervire; ceu quilibet agrarius eo fato genitos boves, ut in aratro ſudent, ſemper ſubjugabit, leonibus ferarum regibus rariſſimus Magiſter. Non obluctantes & caput & captum ſubmittunt, quos Lucina ipſa non priùs faſciis,quàm vinculis ſervitutis illigavit. In cavea,& captivitate ſervatæ volucres, altoribus ſuis etiamſi ſubinde nollent, concentū edunt, liberum incolentes àërem, quâ fronde & ſilvâ placet, in graciles modulos guttur attenuant. Rex Poloniæ in ſua Repub. velut inter minora Numina maximus Iupiter non excutit ſententiam fulmine ſed ratione, non tonitru compellit ad ſentire ſuum, divum Senatum, ſed ſuavitate conſilij movet. Nec verò vigorem libertatis enervat flexa in meliorem opinio, imò quid ſimile à divina providentia mutuatur, quæ non ideò nos libertate & arbitrio ſpoliat, quòd juvet ad bene agendum. Non tulit Rex noſter non ferendas conſiliorum remoras,ſed echeneides ejuſmodi ſiſtentes felicem in ſuo curſu navim, dulcedine & effluvio bonitatis ſuæ, né mordicùs tenerent ſententiam, delinivit; interiacientes mala ſemina opinionum ad meliorem reduxit frugem vitioſiſſimo diſſenſionis lolio exterminato. Neſtorem ſi habuiſſemus, tenaciori eloquentiæ favo non glutinâſſet animos, quàm Regali Atticâ & dulciore Cecropio melle Monarcha noſter palam aſſerendo : meliùs rationibus ſuperari quàm ab hoſte; qui non aliter ac tortuoſus amnis ſubversâ unius fundi ripâ, in vicinos tamdiu agros meatum quærit,donec ſubruto littore : ſeſe in planum effundat. Grandis alea nobis à fortuna porrigitur, ſi eam temerè proijciamus ſortiemur iniquiore iactu, quòd extra luſum erat; Maius ab hac acie quàm quod ſua ſæcula ferrent, vulnus habent populi; plus eſt quàm vita ſalusq; quod perit, in totum mundi proſternitur ævum. Sine mora vincendum aut pereundum eſt; ſi tardiùs ſuppetias

Quæ ... cilis a... liber... Rempu...

Studio ... men S... niſſim... ti...

feri-

ferimus, inter Romana Senatusconſulta Saguntus capitur; hîc vincere tardè, vinci pæne foret. Inclinaverunt huc omnium ſententiæ tanto rationum pondere adductæ, ſinguli ſuas mentes unam fecerunt, veluti ſi innumeras margaritas uni inieciſſent vaſi, tantum ſenſus illi in unum collecti pretium habuerunt. Coaluit hæc felix unio tum metu perituræ Auſtriæ, tum amore conſervandæ; unionibus tamen æſtimationem præripuit, quòd illi non niſi fulgurante Iove intra conchas generentur, pretioſa formidandi parentis proles, unio autem noſtra nō ita torvo cælo & minaci nube provenit, meliori ſemper ſpei confiſis ſereno. Nō illorū fato impulſi in hanc colligationē Poloni, quib9 magnitudine periculi à ſpe evadendi excluſis ſtrenuè aut vincere aut mori placet: nō neceſſitatē verterunt in neceſſitudinem, alias cervarum ex timore præcipitati fulminis abortientiūm intempeſtivæ proli non diſpar eſſet ex metu amicitia. Reſilientibus ab invicem cordibus etiam Vulcani malleus non incutiet amorem; ſi occulto magnete non attrahuntur animi, fruſtra extrinſecas illecebras, & provocationes affricueris. Vltroneus Rex noſter defenſor opprimendæ fidei, quamvis omnium conferri in ſe (*quia & conferre*) non neſciret ſuffragia in orthodoxi belli ducem expetitus, magis tamen ſpontaneâ alacritate quàm urgentibus votis accingebatur operi. Honoris hic ſed & horroris plenus eum ambiebat titulus, at in utrumq; paratus, tam non formidare diſcrimina, quàm non anhelare popularem auram. Cogebant volentem, adducebant jam ultrò ruentem paternæ INNOCENTII XI expoſtulationes, né daret in ſubſannationem & in deriſum nomen Chriſtianum; IOANNEM & non alium quempiam ovile ſuum à faucibus Orientalis lupi tutaturum, qui Agnello ſuo fouendo ſemper aſſueverit. Achilles ad everſionem Troiæ omnino quærendus erat, né immortale bellum ad muros ſtaret Iliacos; Omnis in abſentem belli manus ardet Achillem; Nomen Achillis amant, & in Hectora ſolus Achilles poſcitur. (*Statius.*) ad triumphandam auroram ſolus IOANNES videtur. Diſpenſatrix gratiarum Roma miſit bellaturis Iubilæum, ante iubilum, quod erant laturi ex hoſte, ut nihil debuiſſent DEO præter vitam, & ſarcina conſcientiarum poſita, inter caſtrorum impedimenta, ac hippoperas, non gravaret. Indulſit & in cæ-

teris,

ceris, magnarum largitor opum, largitor amorum; aliud, poſt Ierícho Sacerdotalibus difflatum tubis, exemplm daturus, everſis barbarorum caſtris, bonus verè paſtor etiam animam ſuam poſuiſſet pro ovibus ſuis. Nec ſegnis promotor pontificiæ pro ſuo grege ſolicitudinis, Illuſtriſſimus Opicius Pallavicinus Nuntius Apoſtolicus: identidē Equites Polonos ad arma, jam pridem ſanguinis ſobria barbari exhortando; Senatui amplitudinem gloriæ ex ſublato tyranno explicando; ut ipſe planè videatur impoſuiſſe unicuique galeam, dignus ſibi etiam aptare galerum inter purpuratos. Nuntiabat Auguſtiſſimus LEOPOLDVS totis uiribꝰ Imperij ſe enixurum pro pace publica, ſi impacata fata, non in ſuum tantùm impacta pectus rabi m eliderent omnem, ſed ſocio Polonorum robore rejecta peſſum irent. Pavorem quidem cum Turcico adventare populo; omnia fulmineo impetu caſura à facie depaſtoris: attamen (*firmiſſima hæc opinio orbis de noſtro Monarcha erat*) Te prælia viſo langueſcent, avidique cadet dementia monſtri, (*Claudianus*) quemadmodum theatrali tauro ventilante arenam, & neſcio quàm acri pugnæ ſparſis pulveribus præludente, ſi jubâ & toro regali conſpicuus leo ſanguinariam ingrediatur aream, pior ſuæ jactator audaciæ, jam angulum petit, & ſi nec videretur ab æmulo, vellet. Sic Spartana ſe nobis monſtrant robora, interea vix ſpartea in eo virtus, qui ſe chalybeum jactabat Achillem. Cœlum territat armis Caligula, & adverſus fulmina Iovi obſtrepit, humanæ impar nedum Deorum provocatorum iræ. Studioſiſſimi irradicare hoc propoſitum Polonis mentibus, Walſchtein & Zerowſki, ille Cæſareus tunc ad Comitia Orator; hic ad Sereniſſimam Majeſtatem Reſidens ablegatus; cujus ſolertiſſimo ſtudio ſuam magna ex parte Vienna adſcribat ſalutem, procurantis omnino ut fœderata Auſtriæ Polonia certiſſimum eſſet robur hoſti removendo. Et jam mens accincta armis, ſive dum caſtrenſes attollebat curas, ſive dum tollebat obſtacula, tempus ei non ſuffecit, ſufficiente omnibus & ferreo plane tolerandis Principe. Poſt depulſam hyemem & exutos frigore colles, toto verè nihil niſi de laureis contexendis egit, ut vix tem pus haberet vivendi. Non maiales Philomelæ, non dulces gutture aves aurem recreabant, ſed martialis tuba comedenti & dormienti inſonabat.

Per ſi... Nunti...

Iam

Iam Cancri tropico sol cæperat retrocedere, regalis animus semper sublimiùs magnas meditationes promouebat. Leonem usque Iulio sol adhuc ingressus, dubitavit ubi magis stabularetur; Zodiaco, an mente regiâ, quæ coelesti planè motu agitaret publicam salutem? Adeoq; omnes illi menses quos tuo Nomine REX SERENISSIME implevisti, eligebant imperialia Iulij & Augusti vocabula exuere, ut tuo nomine insigniti & insignes potuissent esse, si IOANNES, quasi IO *annos* uno commutato apice sibi deberi non inclamâsset, non unius mensis capacitate suam metiendo amplitudinem. Hic jam adeste triumphi Comites, huc plenâ cornucopiâ acervatam fortuna supellectilem confer; viaticum Principi para; lauris & palmis Gratiæ umbrate vias, omnes silvarum Deæ ramos prætendite solari æstui, Rex castra petit: Varsáviensi domicilio & regalibus triclinijs excedit, tentorio Majestatem tecturus. Dedit Varsaviensis Syren prima comitativum propempticon: Sive per æstiferas Libyæ sitientis arenas, Boreæ seu juncta nivali rura coles; Libycum Boreas riget imbribus axē, & rigor Arctous tepido mitescat ab Austro; & quâcunq; feres gressus, tibi balsama sudent. (*Claudian.*) Omnes servatorem Iovem prosecuti sumus studijs, militavimus votis, quibus non quadrabat lorica, cilicio armatus stipendia coram coelo merebatur, necdum te movente signa, necdum tubâ canente, prælio in suo tergore aciem designabat, & propulsabat hostem, ex suomet Sanguine victoriā præsagiendo. Innominatum quendam exercitum scripsit tibi Amor, qui solo suspirio armatus & ejaculatorijs precibus munitus, licet inermes manus contra hostem tendebat, seipsum vincendo, in semet desæviendo de illo triumphabat. Sed neque Tu ipse hujus militiæ ignarus, prius expugnare DEVM, tandem faciliorem de hoste venire victoriam. Lugubris in manum se taxus sinuat, cum sine Numine, Martis laurea quæritur. Irreligiosum quidem Numen Mars est, ab aris tamen Deorum, suos calores necesse mutuet. Facilè erexerit trophæum, cui totus militat æther, sed strenuissimus etiam Annibal jam manu Romanas avellens portas, inefficaci labore sudat, cum uno imbre repellitur, & fulminatus à coelo spe & victoriâ excidit, jam apprehensis excedit mænibus. Ideò plenus Numine appulisti Czestochoviam Virgini Sanctissimæ

& loco

& loco & prodigijs claræ nuncupaturus vota: nulli te hostium Crucis parsurū imò nec tuo labori, né extremè laboraret Christianus orbis. Vovisti alteram Virgini Turcarum Lunam, ut abhinc utrumque Soleatum sideribus pedem haberet. Certè mons ille clarus miraculis, Te unum inter maxima scripsit; quòd non excitare mortuos, sed interficere posses vitæ alienæ prodigos. Olympum se exinde nominari voluit, postquam illi omnes Olympicas intulisti. En habes Virgo thaumaturga supplicem triumphatorem; procumbit ante aras, cui quondam altaria surgent; obvius ire tot non metuit fatis, opem implorat sine cujus opera imbecillem se mundus agnoscit. Subscribe Virgo votis, pro Filio tuo prælium inituri Principis. Nec steriliter iverunt Sancta desideria feracissimo gratiarum loco: parturiit mons ille non ridiculum quempiam fœtum, sed leoninam in animo Principis magnanimitatem, ut gigas monte hoc armatus abivisse crederetur. Vnū angustiabat irrequietum ipsius animum, quòd, cum summo tenebatur desiderio simul in hostem ruere, simul obruere, detinebatur. Celeritatem nihilominus admirati sumus, dum etiam suas antevolaret aquilas; ut non magis lituos quàm mores, & præcipitatas moras, castra sequerentur. Ea enim est magnorum virorum conditio, ut quidquid sagunt, agendum imperare videantur. & grande tormentum subsequentium, eorum quos sequuntur, magni passus; quò per confragosas semitas indomitasque vias giganteo gressu principum se infert virtus, eò minores ex vulgo gradatim conniti solent. Et non magis Sacramentum militare, quàm ducū exempla stringunt, cum illa semper plus urgeant quàm tubicen, tonitruque vocis. Castigari ignavia militis acriùs non poterit, quàm si vigilanti oculo amarè somnolentum chiliarchus everberet. Irrenitentes ad æmulandū quod ipse egit, Princeps subditos compellet, si non fervido compellabit mandato, si non edicto, sed edito adhortabitur exemplo. Nempe Soli, & solis Principibus datum, prælucere mundo; suppresso utriusq; lumine, mera cæcitas dominatur. Cunctatorem nostro, Monarchæ agere nou placuit, sed primus, quò omnes attrahere principali spiritu desiderabat, Cracoviæ stetit: Si stetisse dicendus est, nec moram nec requiem habendo, ut quatocyùs aggregata manu ferret auxilium jam in extremo planè agone desudanti *Cracoviam.*

danti

danti Viennæ. Convocavit huc tot populorum congeriem tot pectorum virilem collegit Spartam, ut Lacedæmoniam dixisses in Vrbem illam transmigrasse. Alterum hic vidimus Cracoviæ munus, quòd non solùm coronam Regibus sed galeam imponeret, non augurali paludamento sed sago etiam sciret induere Monarcham. Regiorum interea præludia fatorum acerrimus & alacerrimus ubique bellator ILLVSTRISS. HIERONYMVS LVBOMIRSKI obit strenuus; primas tentationes Martis excipit, né deinceps diceretur: in Care probandum esse vadum, ubi in tam caro patriæ capite inchoativa arma exercentur. Auspicatissimus illi S. Bartholomæi dies, Apostolum pelle, hostem vitâ exutum attulit. octodecem Turcarum millibus immixtis compluribus Tartarorum deletisque.

...rim Il... Ma... Cu... præli... ...ri for... in ...garia ...udit ...icato.

Inconditi agminis illius primicerius, manu ipsius Illustrissimi Mareschalci ictus concidit non vulgaris scilicet & plebeia tanto nomini debebat immolari victima, tanta manus, tantum debebat invenire caput, cum maxima in vulnus placeat cervix. Non ars aut astus belli, non dextera dêerat, si non Scipiadæ concurreret; doctissimus torquere equum, nisi in illas strophas oculatissimum nactus æmulum esset: proterere obstantes potuisset, ni in generosiùs incidisset pectus. Alterum belli scirpum illius solvendum gladio objecit fortuna: pabulatores Turcarum rebelles ad Posonium Hungaros, ubi inter Danubium & Sreniavam Lubomirscium arctati, nesciebatur pluresné Danubio an hoc gentili flumine hausti interierint, de præda illud potissimũ erat, quòd ex infamibus fama proveniret. Sicq; pro Iulio bellans Brutus in æquore victor primus, Cæsareis decus addidit armis; sic pro LEOPOLDO LVBOMIRSCIVS primas laureas consũmandæ victoriæ præparabat. Æstuabat jã à 14. Iulij non ita Syrio coquente, quàm illo Orientis cane inflammante omnia circumsita, æstuabat Vienna ad 16. Augusti, nec aliundè lustralem sperabat rorem, quàm à Ioanne, qui Iordanem secum ferebat: extinguebat jam incendium, dum spe aduentûs sui ceu antelucanâ temperie àëris refrigerabat. Nec differebantur suppetiæ, sed parabatur exitus, voto auferebantur moræ, quamuis nonnihil traherentur. Quis illam alacritatẽ æquabit calamus, quâ sub explicata signa conuolabat miles? quis exhauriat illos Spiritus, quibus gens animosa bellis in arma ruebat?

...Viennæ ...esse obsi... ...one sum... ...a alacri... in Polo... ...s succur... ...rendi.

bat

bat? Conuiuas dixiſſes aduentare, quibus nectar & ambroſia, non ſanguis eſſet propinandus, ita alacres ita læti, & jam triumphantibus ſimiles ſuum quisque ſequebatur labarum. Iam rude donati, inter rudes adhuc, & primum tyrocinium belli ineuntes; emeritos & emerituros unum pugnandi & vincendi ſtudium abducebat. Collecti Proceres, laticlauium in ſagum commutabant; Diis animæ ſimiles, & pectora magnis nunquam anguſta malis (*Silius*) relictâ curuli, & Curiâ, cruento illi albo nomina inſcribebant. Veneranda illa Conſulum militia, Mars ille Senatorius ad judicandum de certa victoria videbatur exire; ad prælia enim parem æmulum non habebat, ruſtico barbarorum Marte purpuram neſciente. Ipſa admiranda heroidum noſtrarum animi infracti conſtantia augurio erat futuri triumphi, ubi dimidias ſuas incunctanter illi uſui concedebant animas. Pugnabant quidem maritales affectus illam ſub Troiam, & nomen hoſte ipſo infame ſocios vitæ mittere, cum fermè idem eſſet quod amittere, verùm ſuadebat gloriæ compendium non detinendos. Nec terrebant ſuperſtitioſi illi timores: Cum foribus velles exire paternis, pes tuus offenſo limine ſigna dedit, ter cardine verſo, præſagum cecinêre fores. (*Ovid.*) Omnium animi, ex unius Principis ad mala ferenda non rudi pectore, leoninum quid ſpirabant: imbelles etiã bella cupiebant, & quod noluiſſent videre, optabant eſſe. Nimirùm nullus ſibi gratior viſus, promercali penitùs Principis vitâ, & in ferreas Bellonæ nundinas propoſitâ. Omnes in omne periculum accinxerant animum, accingente femur tanto auſpice, nec mille diſcrimina unicus expauerat, emolliente Teucro ſuo viam: Tanto Duce poſſumus uti per Syrtes, bellique datos cognoſcere caſus (*Lucan.*) Faſtos æternitatis jam fama accipe, & hinc ordire glorioſos annales: IOANNES Magnus, quãtus adhuc puer eſſe debebat, deſeruit patriam, imò ſcriptam ſub vexilla in orbem exterum ducit, ut fatiſcentem ſuccollaret. Somnium illud Galbæ, cui fortuna apparuit laſſa, & niſi ab eo reciperetur (*Suetonius*) unicuique obuio in prædam ceſſura, ſomnium eſſe deſijt, poſtquàm in gremio IOANNIS Auſtriacam fortunam perfugium vidimus habuiſſe. Nemo vidit Metropoli ſuâ exeuntem Regem, cui lætitia auſpicatiſſimæ viæ ex una, dolor ex abſceſſu Principis, altera palpebra lachrymam

Cracouiâ mouet Sereniſſimus.

non

non excussisset. Amamus, quos odimus, ire in certa discrimina; queritur peremptum nemo, quem incolumem timet; omnes tam carum Principem in illam atrocem luctam abire querebamur, sed tamen contra illos audaces Encelados, & cælo nimios Mimantes immortale eius nomen intolerabile futurum, nos solabatur.

...ren. Re...æ valedicit.

Vidimus Serenissimam consortem attonito corde, & suspenso fletu, non plorare eum, qui lachrymis detineri non posset; vidimus ceu oborto repentino imbre grandinare plane tempestuosos dolore oculos, quasi contabescens Niobe in sinum Principis dolores & singultantia verba funderet. Proximæ erant indignantis quærelæ: Vir mihi sæpe abest, & conjuge notior hospes; quam sine te cogis viuere, cogere mori (*Ovid.*) ille tamen hoc uno solùm immitis, quòd ut aliàs castris quàm Castellis frequentior, vix bene coniuge visâ stationem repetebat, etiam nunc dum illa loquebatur, nauem soluebat Vlysses. Sauciabat alterum vulnus materna viscera, vix satis per stillantes palpebras & grauidam dolore pupillam, ad gaudia natum spectando filium, nunc lachrymarum esse materiam, ubi sanguinarium etiam petebat theatrum luctaturus in aurora I A C O B. Sed ille maternas duntaxat exosculando plantas majores adhuc à tanto vestigio sumpsit animos, non à triuialibus gloriæ itineribus in postumam abire famam. Pependit ad genua paterna, ceu paruulus adhuc ad Iouis sui poplites stratus Mars, Princeps A L E X A N D E R hac unâ amplexûs sui compede vinctum retinendo Patrem, quòminùs festinatissimum iter præcipitaret. Et jam tandem abstulit nobis equus cor & animam Patriæ, ubi loco suo urbs mota videbatur ad stipandum tam magnum Viatorem, qui, cum alijs Vrbes turresque recedunt, ad limitaneos usque montes assistentem habebat Poloniam. Personabat plausus abeuntium, audiebatur luctus remanentium: omnes tamen secuti votis, filialibus Patri subscripsimus apobathirijs: Te vel per Alpium juga, inhospitalemque Caucasum, vel occidentis usque ad ultimum sinum, forti sequemur pectore (*Horat.*) nam quò non oculis, itur amoribus.

...ucibus exercituum ...ipatus Sen. extra ...nites Pa...iæ proficiscitur omnibus ad generosas actiones expeditissimus.

Aderant Polono Herculi Theseus & Pirithous I L L V S T R I S S I M V S S T A N I S L A V S I A B L O N O W S K I, & H I E R O N Y M V S S I E N I A W S K I. Suas quisque cohortes magnanimo implentes spiritu, & pacto vitæ

pro

pro morte gloriam suadentes acquirendam. Vocamur (*inquiebant*) ad fundendum sanguinem; eundum ad gloriam: Elicuit nos tectis Mars externus ad arenam, curramus hoc triumphale stadium, donec brauio manus applicuerimus. Si peregrinis præueniemur fatis, & Austriaca taxus super tumulum pullulabit, etiam auream arborem, & cedrum onustam titulis, hæc tellus producit. Quocunque loco ceciderit fortis nîl interest, siquidem virtutem ubique obeliscus erigit, dum illi erigitur. Sub astro Martis geniti utrum ad Aquilonem vel orientem jaceant, non eligunt cespitem. Fortibus & patria, & tumulus omne solum. Non dedecet ad Trojam Achillem occũbere, & euictis tempestatibus pelagi, in alieno littore æmulum quærere Paridem. Non dedecet Agamemnonem decennales labores, & lustris adultas calamitates superare, relictâ Conjuge, relictâ Græciâ, Sceptro & coronâ, Iliacas eripere adoreas. Venusta ipsis cicatricibus Vlyssi facies, non plebejo tamen & obuio sauciatus gloriatur vulnere: Sunt & mihi vulnera ciues ipso pulchra loco (*Ovid.* 13. *Met.*) sed ad Trojam gaudet & superbit se esse notatum. Quid nos à ferro deterreat, qui in sinu Martis enutriti ferrum pro crepundijs habuimus? Polonis semper ruere in ferrum mens prona viris, animæque capaces. Si multitudo hostis ipsis rumoribus famosa? minuemus huic hydræ capita. Etiam monstris absentibus horror inest, jam strata, quandam in exuuijs victori jucunditatem attulerunt. Post devictum hunc Busiridem, post superatum hunc Caledonium aprum, ad calculum cum Hercule reuocare licebit victorias, & glorioso laborum superbire syllabo. Si fortis est hostis gloriosior est victoria; si imbecillis: turpe & dedecorum esset à facie illius magnanimis trepidare. Ea est nobis campestres animæ, gens bello nata Poloni, generositas; ut victores nunquam ex acie dimittamus, ea sit & nunc magnitudo animi né vel pedem referre hostem patiamur, cui auferre caput destinauimus: Ite per ignauas gentes famosaque regna, & primo ferri motu prosternite mundum (*Sil. Ital.*) Ibatur, tanquam si Hymen nuptialibus præluceret tædis, cum tamen ferreum & ferale macellum Bellonæ ad trucem lanienam expectaret aduenas. Quacunque hospes exercitus ingrediebatur urbes admiratione sui euocabat ultra mænia; quocunque aduenisset, portæ

Difficul[tates] viarum ubiq[ue] hos[pi]tales ciu[i]tes nostr[i]

ciui-

ciuitatum ultrò ſeipſas pandebant, non hirriente, ut ad ingrati hoſpitis aduentum, cardine; Tyrum quamlibet ciuitatem dixiſſes, quæ noſtros Hercules catenis planè alligabat, & hoſpitali importunitate attinebat. Sed aut Pyrenæos ſaltus, aut Corynthiacas ſalebras iniquitas loci illius pro tunc aſſumpſerat, ut ſi Alcides in ea veniſſet præcipitia, magis quàm in biuio laboraſſet. Non gradibus sed montibus illud iter conſtitit, gigantibus ſolum ſuperandum, qui ita laxos haberent paſſus, quin de colle in collem tranſcenderent. Raptis tamen ibatur legionibus, ad coronam veriùs, quàm ad bellum illud ſtadium currente milite; latronum calle triumphator populus delabi ad gloriam cogebatur; ſcrupuloſa illa ſemita, ſed tutas ferebat in hoſtem animas. Edomuit enim SERENISS. Annibal noſter æquales Alpium difficultates, ſed absque aceto, & ulla acrimonia, ſuauius aliquid ſibi prælibante gloriâ, ſubſidere noſtris ſub pedibus montes, areſcere vidimus amnes. Quid enim virtuti inuium, quæ negatâ quoque tentat iter viâ? Transfoſſo Iſthmo liberum ſibi explanabit paſſum, tumeſcente in colles mundo neſcit ceſpitare. Non tantùm Olympia currendo, venitur ad gloriam, ſed ſucciduo etiam poplite luctari in arduum, non iners ſtadio emetiendo virtus. Fluctuabat interea illâ diuerſi populi colluuie inundata Vienna, quàm refuſi ferrea diluuies Gradiui tumultuoſi turbine prælij concutiebat; ut ſi neſciremus Martem eſſe bellorum præſidem, Neptunum dixiſſemus illam tempeſtatem telorum effudiſſe, ubi hinc Danubio cinctus populus, hinc affuſis ad mænia armis, telis obſeptus & undis, nec tantùm egredi poſſet, nec aggredi ſecurùm. Tellus infra pedes pagani exercitûs laborabat; & ſorbuiſſet fortaſſe viuos, ſi viſcera illius non nauſeâſſent eos, quos tergore vix poſſet ſuſtinere. Gentibus operti montes, unà cum populo in obſeſſos videbantur ruere. Giganteo terribilius bellum, & Phlegrâ flagrantior acies illa, in excidium Chriſtiani nominis. Nec ſibi, nec obſeſſis propitius barbarus, telorum turbine vaſto aggreditur muros, atque armis intonat urbi, ſtabatque ingens ad mænia bellum. Pulſabat aries Martialis urbanas fores, ſed quò importuniùs, eò magis exploſus: ter mille vicibus ſubinde in unam diem reboabat àër mugientium tormentorum fragore, ut ipſa tormenta in tormentis ſe eſſe frequenti gemitu faterentur.

[Vi]enna in [an]guſtiis, ab [ing]enti multudine [Tu]rcarum.

[De]ſcriptio [tum]ultus.

tur. Diem integram fregerunt barbari non unam, in effringendis mænibus, ut multitudinem auxissent, horis immixtis pugnabant, frequenter in diem, sedecem, falsum tamen Sciothericum habuerunt, quod illis nunquam victricem demonstrauit horam. Non potuit igitur aperto Marte ambitio duellatrix triumphare, ideo ex visceribus terræ enascituram sibi promittit gloriam, tanquam si illa gleba injecto puluerum semine tam præstantem germinaret messem. Verùm humiliatus Mars ille fastuosus ad ligonem, posito acinace, & pugnâ equestri desertâ fossorem agit: ita furore suo cæcus, ut cum talpa terram egerat, & tamen vel illũ ipsum ejaculata terra, vel municipibus dolosum prodebat thesaurum. Nempe impatiens tanti ardoris terra flammam exhalabat, & commotis visceribus tetros reddebat spiritus, ceu veneno infectus ventriculus lethalem se hausisse potionem testatur crebris ejectationibus: ita Christianæ etiam terræ infensa barbaries, pessimis eam infarciebat dolis, cum plenis pyrio dolijs, ut Ætna non sic eructet tremefactis cautibus ignes, nec Lipare vastis subter depasta caminis sulfuream vomat exeso vertice flammam, quemadmodum ruptis repagulis, extirpatis à fundo collibus, magnis effracta spiritibus tellus deserto centro, coelum insilire cogebatur. Abscondita hæc machinatio manifestissima damna faciebat veluti ictã in radice arborem omni fronde contremuisse necesse est, ita toto cacumine nutâsse Viennam, ubi fundamentis suis quassatis violenter emota toties inhorruit. Grassabatur & alius intra angustiatæ Vrbis mænia hostis, mortiferæ contagionis labes, ut undique ferales cupressos nasci inter mortes appareret. Infirmissimum quidem, sed tamen adjutorem tam valido hosti nescio quæ Nemesis comparauerat. Febris in vrbe, æstus ad mænia; jugulari an mori defensores debuerant, non suppetebat; his videbatur ex campo mortem appetere, illos in grabato oppetere; hi sauciati, illi non satiati inediâ consumebantur; hos ex morbo ultrò deserebat, ab illis telo per vim expellebatur anima. Sic prouocantibus se & acri congressis duello ventis intermedia nauis, dubitat cui cedat malo, unum latus decertantes Icarijs fluctibus Africi verberant, ab altero inuolantem subueretur Aquilonem. Sic agminatim fata viros premunt, & quæ non possunt singula, plura nocent. In duellum fortuna nisi

Cuniculorum.

Morbi grassatu Vrbe ob[...]

ignauos vocat, fortes cateruatim mala inuadunt. Ad ſingula prope momenta icto timoribus corde expaueſcebat mundus né victas manus Vrbs dediſſet, cui nec ſuccurſus temporaneus, nec occurſus ſufficiens hoſti dari poterat. Plus ergo Viennæ quàm Trojæ dandum, quæ decem defenſa annis uno intercidit momento, hæc aliquot hebdomadis centenariam pacem ſibi expugnauit. Alteram Saguntum vidimus, perire eligentem, né perderet muros, amicius lethum ex proprijs manibus eligentem, quàm ex nefario Græcorum liuore: Non pauet hîc populus pro libertate ſubire, obſeſſum Pæno geſſit quod Marte Saguntum (*Sil. Ital.*) Retuſus ſemper hoſtilis conatus, rejectæ vires & violentia, hebetata alacritas, furores illi ſubinde mitigati rurſus inſolentiore rapiebantur impetu fluuiorum more, qui collectis in plenum fontibus alueum rapidiſſimè deferuntur, humiliore tandem aquâ modeſtiùs currunt, quamdiu reſumptis viribus per anguſtiores meatum quærendo canales, ſæuire iterùm per Saxa cadendo, & ſpumare in obicibus non didicerint. Senſim tamen barbarus ſuccedebat muris, & magnâ patientiâ omnem rabiem admouebat portis, illum furioſiſſimum viuè referendo canem, qui eò pertinaciùs cum morſu propinquat, & per baculum colligit hoſtem, quò magis rejicitur, ſimilisqué tenenti, non tenet, & vacuos exercet in àëra morſus. (*Ovid.*)

Vien-um ...iè ſe ...denti-...m.

...mptio ...e de ...ida ...be. ...na.

Iam ſe Annibalem, quia ad portas, credebat, eò propior ſpei, quò vicinior muris Wezyrus. Fatiſcebant mænia, ſubruebatur antemurale, ſaxa findebantur, ſubſiliebant euulſa murorum fragmina in àërem ejecta, unica propugnantium fortitudo inexpugnabilis erat. At ſæculares etiam labefactantur quercus, dum eas inter ſe hinc Boreas, hinc acer Eurus eruere certant. Montes perfoſſo latere dehiſcunt, ſi auaro ligone medullæ auri illis excerpuntur. Africani leones fugantur à culicibus, quia imbelles eorum greges diu ferendo, tandem non tolerant. Iam jam ſemiloquentes erant barbari, jam paratum Euax in faucibus tenebant, jam medio ſpiritu atracto promptum vicimus, in ore fuit, ſi per majorem adhuc rimam ex muris ſuper eos proſpexiſſet fortuna. Verùm ſemper ſpes anxia mentem extrahit, & paruum conſumit gaudia tempus. Anxia voto extendit præcordia, prolixum tædio, breue terminatione deſiderium. Nunquam iniqua bonis ſpes lætata diu ſucceſſibus; Euanidum proſperi-

ſperitatis radium menti infert, expeditiſſima hæc fallax DEA perficere,ut nubila ſint ſubitis tempora noſtra malis. Non ideò eundem felicitatis curſum ſemper ſpera, quòd ſemel fuerit proſpera, nam & propera eſt ad auolandum, quæ tardè aduenit. Iam fermè ſuæ fortitudini inter Turcas acclamatum; actum eſſe de illa dicebant, cum agendum adhuc ſupereſſet. Manent tamen jam captiui, quamuis necdum capti, nihil ſcientes quid cum illis deliberaret fortuna, nihil quid agi deberet; niſi quòd omnia peſſimè agerentur. Cincti hoſte veluti colubro, qui exſugere alicujus animam certus, inuolucris eum colligat, ut funeſtiori preſſurâ elidat ſpiritum. Properat tamen, imò coelo deuolat, *Saluator & Salus* populi ægrè viuentis, in uno ictu gladij ſui emancipandis vitam, barbaris ferendo mortem; prout receſis ſtolonibus exitialis eſt falce ſuâ olitor, arborem verò incolumem reddit. Antequam in prælium deſcendiſſet, ipſa itinera jam pugnauerant contra liberatorem noſtrum, ut nihil ei non eſſet victum & triumphatum ipsâ iniquitate loci conculcatâ. Detinebant ruentem difficultates viarũ, quem centimanus aliquis,vel Chymæræ ſpiritus igneæ nõ fuiſſet moratus. Sciebat ſapientiſſimus Princeps momento res maximas verti,& plerumque euerti. Integras & modicis adhuc ſciſſuris vitiatas, ſi citò prouideatur,facilè ſarciri fortunas, laceratis jam & convulſis ſemper commiſſuram apparere. Suo damno nefaſtam ſatis, pejùs ſcelerabit fortunam, qui non celerabit contumacem, & frænos expuentem cohibere. Tardum eſt conſilium jam arctis in rebus. Non hæſit ad Rhodios planè ſaltus Monarcha noſter, non tenuerunt illum ſuâ potiùs aſperitate immanes, quàm vel ab Alpibus vel Caucaſo ſumptâ antonomaſiâ, viæ, ſaxis & cautibus aſperatæ, ut non ſitu ſed duritiâ quandam Saxoniam penetrare debuerimus. Morauia à mora viæ dicta eſſe videbatur, nihil tamen moratum eſt, quin pro ſalute publica feſtinaretur. Conſuluiſſet hic Pomp. Magnus ſagas illas an præſagas Romanas volucres, tutumné foret in tanta ſe conijcere pericula? Polonis mucro pro augure, virtus pro augurio; ſat magnus in hoſtem augur adeſt enſis, pulchrumque & milite dignum auſpitium Latio, quod in armis dextera præſtat. (*Sil. Ital.*) Pulmones pecudum ſunt oracula Romanorum, ſolum cor Polonorum. Superſtitioſus timor, ut ferreus aries non impetat hoſtilem

N... temp... reni... ſucc...

Non... tus v... aſpe...

Nec... ricul...

ſtilem murum, quòd cæſus ad aras ex præcordio diſſuadet pugnam, & maculoſa bidentûm corda negant fortunam, dirâque nefas minatur venâ. Multùm ſuæ detritum famæ Mars ille videt, qui vel mugitu animaretur taurorum, vel gemitu terreretur, & palpitante victimâ, ipſe quoque ſuum cor palparet, an metu non deſereret pectus. Non omne Ilium ex conſilio iliorum animalium capitur; non magnum pauorem rictus pecudum hoſti inferunt; niſi fortè infami Bellonæ, aut meretricij ingenij fortunæ, utramque ſemper amantis partem, excutiendus in faciem pulmo deſeruiret. Obnitebatur nobis initio fortuna (amicitia enim illius inter rixas coaleſcit, intractabilis in primordijs, tandem cerea) ponebat obſtacula, quò difficiliùs ad eam veniretur: nos tamen ſubſidere noſtris ſub pedibus montes, & cedere vidimus amnes. Nulla ſalebra non peruia ad gloriam, nullus metus non motus ex corde ad capeſſendam illam famam, quæ ſub Vienna cum amplexu venturos deſiderabat.

ma à anus Explicata per paſſus Cæſarea caſtra præſtolabantur ut Regem pro Imperatore ſalutâſſent; Expectabant illa Sereniſſima Nomina CAROLVS Lotharingiæ Princeps. MAXIMILIANVS Elector Bavarus; & Elector SAXO; expectabant illi Marchiones, Duces, Tribuni, militiæ perenniore quã hoc charactere notandi, donec hoſpitalis Hielbrunna ſociâſſet, quos pridem unitiuus amor aggregauerat in armorum unionem. Inuidiſſet hîc M. Macedo felicitatem IOANNI noſtro, qui ſine armis tot principes ſibi ſubjecerit, cum ille & lachrymis vix eam explorauit fortunam, & ſanguine promeritus, ut nomine tenuis in poſterorum opinione ſuccreuerit. Attra-na- xiſſet in admirationem & de ſuperciliosâ Catonis palpebra ſu-cra- ſpenſum oculum ille feſtiuus Nationum conuentus, illa mu-l ex- tua in affectus promptitudo, illi redhibiti officiorum cultus, illa Majeſtatis Sereniſſimi Regis veneratio, quando huc plebe Senatus permiſtâ trepidique Duces, omnisque poteſtas; ambitus aduolui genibus, conſtringere dextram. (*Claudian.*) Sicque conuenerat utrinque alacer, utrinque Aquilinus exercitus Imperialis & Polonæ Alitis; illi natiua faſcia pro baltheo; Noſtræ Sereniſſimus Vmbo armatura, adeoque volucris populus, ut ſuæ gentis Symbola expoſcebant, nihil præter volare in hoſtem deſiderabat: certumque cadauer ſperabatur, ubi tot aquilæ con-

læ congregatæ essent. Né quære SEREN. Ductor, numerum virorum; Tu unus numerum imples, in Te millia & viri, etenim Dux sufficit agmina solus. Si cui masculum pectus deerit? Si robustus animus concidet? Dux ea pro cunctis: si trepidus ad hostis occursum miles? si passum cedere facilis cohors? Dux ea pro cunctis: si eneruata fortitudo instare debilis? Dux ea pro cunctis; si lentescet manus? si spiritus exhauriet bellum? Dux ea pro cunctis. Omnes in Te uno habes, omnes jactâ fiduciâ super brachium Tuum consonis vocibus loquentes audies: Tu sidus fluctuanti in Petri nauigio Ecclesiæ. Vrsas Astrologia errabundis in mari, Te Leonem periclitantibus in tantis bellorum æstuarijs. Tu unus lethi rapies de faucibus orbem, & agros colonis & domibus colonos restitues pulsâ ex illis sæuâ hospite Stygiâ Erinny; penes Te tanti solertia belli. Alium non habent rostra Camillum, non habemus Vltorem Seruatoremque Quirites. Quis enim Briareus centibrachis, proclinatum in ruinam orbem detineat? imò quæ brachia centum aliis numero crescente lacertis, tot simul obiectis posset confligere rebus? Scelesta illa Caligulæ vota, nunc sanctiori euentu implentur, ubi Tu unum caput tot ceruicibus inhæres, verius dicendo Tibi omnes cohærere. Vel solo gratioso Nomine IOANNIS pellicies fortunam; illa ipsa quæ in siluis IOANNEM amplexa gratia, non solum tenebit nomen sed innominatas fortunas. Prospera Romuleis sperantur tempora rebus in nomen ventura tuum (*Claudian.*) Tanta animorum consensio! tanta armorum æqualitas! ut Ductore nostro Monarchâ, stipulatas sibi manus in exterminium hostis dare viderentur. Quàm similis dissimilitudo! quàm unita diuersitas, & diuersa unitas! æqualis disparitas, & dispar æqualitas! Non conciliabat tantam diuersitatem gentium vindex fratris sui Agamemnon, nec unum tot Reges habuêre Ducem, coiêre nec unquam tam variæ cultu gentes, tot dissona vulgi orà. (*Lucan.*) Occursabant venientibus rumusculi, non exercitum Turcicum ad Viennam hærere, sed portentum, nempè monstruosam reddebant famam authores nouorum, pictoris more, qui ut magis terribilem tabellam reddat, & artem penicilli jactet, dæmonibus cornua & ungues affingit, quamuis hæc illi non habeant. Ipse etiam metus optimus in corde timentis

In illo manus fid... castrorum

Consen... inter e... citu

Rum... formid...

orator,

orator, facilè persuadebat, quod proniori in pejus fidei aurium proposuisset fama. Formidabiles illas Turcæ definitiones, & agnomina ipso pænè timenda sono statim Magister timor ignauissimum quemque edocuit, quòd Turca sit: Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes percuteret pariter populos, & sidus iniquum gentibus (*Lucanus.*) Plenum timoris Machometi vocabulum, & sæuus magno de nomine terror, in omni syllaba mucrones & mortes enuntiare credebatur. Quidã pusillæ mentis aduersam computabant aciem, quidam ceu Poëtæ quantitatem Machometani nominis metiebantur, & omnes longas putabant; alij annos suos recogitabant; vel iuuenilibus adhuc & paucis metuentes; vel plenos dierum abolendos uno ictu verentes; audacissima demum licet fuisset indoles, magnis tamen ægra perîclis pectora subrepit terror; molemq; pauentes expendunt belli, & numerat fauor anxius annos. (*Sil. Ital.*) Verùm non solet numerare pericula qui ad lauream festinat; non arithmeticum agit animosus miles, ut computet, sed ut amputet hostilem numerum. Regula hæc pigri est, in digitis numerare, alacer & vehemens totâ manu hostem comprehendit. Multiplicare consueuit timidus discrimina, & quæ sunt singula, bina videt. Atqui licet numerosa multitudine fuerit phalanx, sæpè tamen exiguâ virtute est fallax. Non ideo magni pretij, quòd multorum millium sit, exercitus. Calidonio apro quid gregatim catelli? postquam unius hausit dente femur, reliquos obliquo ictu dissipat latrantes. Vel moto capite incubantia agmina culicum, toroso excutit armo taurus, ceruicem illi hæc bombilantia castra non ideo frangent, quod cornua insederint. Non terruit hæc multorum capitum bellua Alcidem nostrum, quæ nouam cum sibi ad Danubij flumina posuisset Lernam, non diu hoc delicato cubili pandiculata jacuit. Et hic unus adhuc in obice erat capitalis Europæ fluuius ituris ad lauream; verùm & ille subjecit calcaneum tergus, ubi Neptunus Germanicus Martem externum veneratus, plano corpore, & prono pectore, infra victrices illius sese aduoluit plantas. Ipsi Tritones aquatile celeusma dederunt, juueruntq; campestres lituos fluviatili conchâ vel ex aquis Martem accēdendo; ardente enim corde magis scintillat pectus, si flatu tubarum adjuvetur. Sagittam Alexander trajecturus in Persidem tardiùs e-

[De]finitio [T]urcæ.

[Fo]rmi[do] ta[men] multi[t]udo.

[D]ubius [D]ulnam [...]itur.

jacu-

jaculatus in altero littore vidit, quàm noster Monarcha, & bellicas machinas, & ipsos bellatores, & ipsum Christianum bellum per Danubium transmisit. Vna nox intermedia fuit ab illa theatrali die, & crudæ repræsentatione Scenæ, quâ vicisse summum, vinci supremum erat; imò noctis nomen amiserat, quæ professa esset vigilia ad solennem victoriam, catholicæ verè excubiæ tam festam in crastinum fortunam præcesserunt in pane & aqua, plerisque inediâ solidæ diei maceratis. Porrigebant se, imò negabant ardui ascensu montes Cæsij: sed IOANNES in montanis adhuc intra viscera Elizabet viam orsus, neque hic difficilem in summa angustia expertus callem. Fortuitus hic trames & fortunatus, ipsi namque montes gibboso dorso extulerunt in altum Christianam militiam ut cursu promptiore ruerent in hostem: veluti agili pennâ libratus inter nubes accipiter, ex præcipiti fugacem captiuat columbam. Quam tamen silua hæc propter suam iniquitatem, beatitudinem non meruit? ubi per prorutas arbores, per abruptos descensus, per salebrosa decliuia, regali plantâ consecrari meruit. O quantas dabitis improbi pænas! ô quantò piandum jugulo nefas erit barbaris, propter quos verè IOANNEM Monarcha noster exprimit cursu & pedestri itinere! prodromus in salebra, prodromus in præcipitio, prodromus in alacritate. Si adhuc in illa solitudine Napeæ, aut Oreades montanæ Deæ superestis, quoties illa magni Gigantis reperitis vestigia, semper eis libate oscula; Semper vernantes Zephyri producant rosas, quàcunque Perseus noster processerat. Et iam primo diluculo apparebat aurora Orienti contraria, ferro magis Christiano, quàm antelucanâ oculos euerberans purpurâ. Nam rubicundam semper vidimus, hac tamen die expalluerat, utraque metiendo arma, alterutris metuendo. Vidit in crepusculo uterq; exercitus viros & vires, & postquam sese permensi oculis, quisque quà sibi eundum esset ad palmam, iter designabat. Ipsa oculorum acies jam hebescebat in coniectu; lassabat visum, quod manibus contrectandum erat; stupebat palpebra igne metalli; pæne tellus tota micantibus ardet sub armis, stant acies adhuc pendente fatorum sub ictu. (*Sarbieu.*) Mars interea tenebat belli aleam, & cui fauendum erat parti jam animo definiuerat; sed fortuna & victoria dubia simul à Marte pendebat.

Arduit[as] montiu[m] superatu[r]

Approximat temp[us] prælii.

Spectaculum utriu[sque] exercitus.

bat. Horror eſt meminiſſe, nec adhuc oculis abſiſtit imago feralis illius aciei, ubi bellicæ primò machinæ tonuerunt, ſanguinarium imbrem fulminibus nunciando; ubi quot oculos, tot incentiuas faces numerauiſſes, terribilis gemino de lumine fulgurat ignis. Tot Gorgones, quot barbaros vidiſſes, niſi jam in lapideos ſtygiam palpebram vertiſſent viros, qui à taurico eorum obtutu obrigeſcere non poſſent. Spectate ſuperi, conſulite militiæ veſtræ, dirimite prælium, ſi anceps fortuna ludificare debet! Time orbis, ſub hoc ictu jugulum tuum! hæc ſunt agonalia tua ô Chriſtianitas! Timere certò deberes, nî ei commiſiſſes ſalutem, nî illi inhæſiſſes, quo tenente concidere neſcies; Maxima tot populis Rector fiducia Brutus (*Sil. Ital.*) Ille eſt ille fatalis in Machometem Ductor, ille fortunatiſſimus Chriſtiano populo, ille, quo ſubducto imbecilla absque ſua columna fortuna noſtra: illum illum Rectorem ſtatuerunt ſidera noſtrum, cui Latium, & moles rerum quaſſata recumbat. (*Claudian.*) Intumeſcebant animi caſtrorum primis furoribus agitati, & necdum jubente tubâ, necdum de prælio monentibus claſſicis, jam unus in altero mergebat iras priùsquàm gladium. Et veluti futuræ tempeſtati præludentes venti modica pelago mouent certamina, donec emotam fundo Thetidem, atque ſpumantem Neptunum, & procellas aſtra usque ſparſuras conturbent, diraque nubes tangant aſpergine: ea nubiloſis heroum mentibus oboriebatur tempeſtas, quæ ſanguineum exciret diluuium. Vt ſublatus clamorque virûm, clangorque tubarum, refluxus quidam caſtrorum apparuit, & moti huc illuc populi, quandam ſpeciem deprælianris ſecum pelagi præferebant, ſic illi alterno impetu pellebantur, quemadmodum diſtractum inter ſe Africus & Boreas æquor, ad oppoſita euolvunt littora. Exhortabatur media caſtris virtus; ſingillatim quemlibet, & univerſos ſimul: Vno tot prælia vincite ferro, Romanum reparate decus, molemque labantis Imperij fulcite humeris, hic omnia campus vindicat, hæc mundo pacem victoria ſancit. (*Claud.*) Vos robur & flos militiæ, ſi concideritis, quis rurſus aſſurget? vos Atlantes eſtis, in vicarium deponere brachium excuſſam ſemel fortunam non parate, vos eam cœlo inferetis, aut manibus lapſam infra Antipodas decidere facietis; Aut cadet, in veſtris aut ſtabit Roma lacertis. (*Claudian.*) Collideba-

...tia prælii.

...ralium

...enuitas, fortitudo ...gnantium

lidebatur uterque exercitus, ut Centaurorum prælium cum Hercule tam acre non fuerit. Ingenti rictu suos ignes exhalabant tormenta, & aure obstantes capiebant, quasi etiam illæ machinæ sua mancipia habere vellent. Grandinabat plumbum, ut tecta non magis glacialibus procellis creparent, quàm ferreis indumentis glandium bellicarum impressa multitudo volabat, præter utrumque latus, præterque & lumen & aures. Lubrica hostili sanguine & proprio sudore manus, vix jam læuigatum ictibus sustinebat capulum; medium spumis ignem naribus efflabant equi, nullo non desudante pro gloria. Scintillabant gladij ardenti milite, & inflictis sibi vulneribus, meritorias jactabant plagas. Non remorata tamen virtutem Polonam incondita illa agmina, non obstiterunt constipatæ acies, quin laxarentur; tanto feruore in pugnam ibat, ut natum ad sola liqueret bella Polonum. Repressus igitur Mars barbarus, repressus Mars barbarus (millies hanc figuram doceant Tullij) terga vertit, eo ipso irreuerens & verè barbarus, qui tantæ virtuti in adorationem pronus debuisset cadere. Pudor unius alæ, Timor alterius Ductores, profligatum urgebant exercitum, & hinc triariæ Polonorum cohortes effusis equis super trepidantes inuehuntur; hinc Germanico igne extinguuntur desides. Compulsa ad incitas, & conglobata metuentium agmina, metentium mucroni vix locum relinquunt, cadauere dejecto super fugientium tergora fugiente; non arma mouendi jam locus est pressis, stipataque membra teruntur. Deserunt stationem, quia etiam vitâ expelluntur; proijciunt clypeum, quia jam & animos abiecerunt; Ductoribus reuehente equo ad renouandam aciem non auscultant, obturatis auribus fugientes; ut non pugnæ species, sed pænæ tristis imago illud prælium esset, dum abeuntibus turmis alacerrimi quique inferrentur. Disparuit illud monstrum castrorum, euanuit campis miles, dissipatæ centuriæ, dispersæ legiones, bellum fugax abiuit, ut victorum pigra reluctanti cessaret in hoste manus; valido non dissimilis vento bellica vehementia: qui in obluctantia robora omni enititur conatu, acclinatas furori suo herbas supernè mulcet, & humiliatam ad quemuis àëris motum, postquam inflexit, erigit arundinem. Pudebat dexteram mansuras laudes ex fugacibus decerpere; pigebat ex seminecibus immortalem adoream

Strenuitas & fortitudo pugnantium.

Vincunt nostri.

Non multum instatus imbecillibus.

quæ-

quærere. Gloriosior enim ex valido triumphus; Sed imbelles à magnanimis superari miserabilis triumphus. Nullum certamen cum victis ac æthere cassis (*Virgilius.*) Vnum ex venatu leonem ferre, plus admirationis est, quàm centum lepusculos; & inter æterna merita Herculi computamus, aprum in Caledonia sylua fregisse, quòd centum millia cicadarum perpetuò afflixit silentio, exiguum famæ incrementum. Sed tamen nemo ex nostris militibus non Domitianus, eo quòd adeò imbelles eiusmodi muscas stylo ferreo illâ die sit persecutus. Dimicatum est à mane usque ad vesperam, tot fulminibus fulgurauit, quot acinaces illius diei tempestas distrinxit, donec prona iam crepuscula maturato lucem præciderunt vespere, dubiamqué pacem habuêre tenebræ. Fauit ea nox palantibus, & cum sua Luna pallentibus, ne ruborem suum cogerentur videre, & ad obscura lucis opera erubescere, velum pudori eorum nox obtendit; seu ut veriùs dicam, funeribus eorum pullo áëre inseruiit. ipsa felicitas infelix Turca habitum temporis hujus habet. Indignum tamen quid iudicabamus egisse coelum, quòd deformi & obscurâ facie nostros ad vesperam vidisset triumphos, spissatisque tenebris hostem à victoribus protexisset, tanquam miserta victorum, sub fuscas noctis alas miseros abscondisset. Sed merebatur illa dies novum miraculum, ut duplicato tempore Christianas collustrâsset adoreas; proueniant toti sic nobis sæpè dies! Verùm nequé nox obscura, aut sine luce fuit: somnum non coepit miles captiuando hostem, & si infestâsset sopor fatigatos, more leonũ ea nocte dormiebatur apertis oculis: barbaris tantùm ferreus verè quia à mucrone conciliatus soporifero, in æternam noctem claudebat lumina somnus. Armata somnia terrebant reliquias fugatorum, & cataphractæ species semisopitos incursabant, quosqué de die evitauerant ictus in prælio, eos inter quietem infligi sentiebant noctu. Vade ô celeri victoria gressu, sudantemqué tuâ lauro deterge laborem! Descende in portum sub nomine Herculeo sacrum; ubiqué extremus dies, & ultîmæ terrarum metæ, ibi centum oribus narra, quomodò Mars noster coronatus in illa acie eminuit, quomodò inter heroes primos præstanti corpore Turnus vertitur arma tenens, & toto vertice supra est (*Virgil.*) Recitabit equidem ex adamantinis sæculorum fastis, & seris recinet

A manè usque ad noctem dimicatum.

cinet fama nepotibus, quantùm ſudoris fuderit Monarcha noſter! quantam inſtruendo militi operam impenderit! Ipſi vidimus ilum non digito monſtràſſe hoſtem, ſed mucrone; non voce indixiſſe, ſed manu indicaſſe prælium, vidimus indiſpenſato laſſauiſſe corpora niſu. Cuilibet ex militibus videbatur manum dediſſe, ut educeret ſuper æmulum. Vndique ſibilabat globorum impetus, ſtridebant in aurem eliſa machinis fulmina, crepabat àër, ſuccuſſa gemebat tellus, dies ſepulta puluere, ipſa quoque cum hoſtibus obierat, an abierat incertum; Monarcha tamen noſter in hoc diſturbio armorum, Iovem exprimebat inter ipſos fragores nubium, & grandem parturientis àëris tempeſtatem, ingentes motus, ſuo illæſus fulmine, imò cōcuſſo terribilis mundo, ſic torua clypei Princeps metuendus obarſi luce. Siue illum inſignem equo ſuus aduertit miles; gaudebat regiâ viâ,& magno veſtigio ad gloriam ſignato itinere vocari: ſiue hoſtis toruo ſuſpexiſſet hirquo, & timuit, & amauit vidiſſe, in cuius vultu Mars timorem fixerat, natiuæ gratiæ comitatem, gratusque inerat viſentibus horror; Soli non diſſimilis, in quem & lubet pupillā figere, & non ſine lachryma ſplendida voluptas habetur. Nec ſolùm agmina & gregarios,ſed munia obibat omnium; ut coram orbe ſecurè poſſet gloriari: Me duce ad hanc laudis metam, me milite venis, Ipſe eques, ipſe pedes, ſignifer ipſe fui. (*Ouidius.*) Metuebatur gregario cuique in eo fortuitò ſtetiſſe ſcopo, in quem ille ſponte incurrebat. Terræ filios dolebamus ibi in victimam ceſſiſſe,ubi ille victimabat honori ſuo, ceu pecudes, hoſtem. Exarmauiſti REX SERENISSIME furore potentiâ, ære, multitudine inſtructiſſimum exercitum, terræ alliſiſti ſuperbiam, quæ coelo caput ferebat, exuiſti caſtris quæ mobile quoddam credebantur eſſe fortalitium; alibi papiliones, ut verè papiliones facilè eſſet ex cāpo abigere, hic tentoria ab intenſo Marte. Stagnabant campi ſanguine, uliginoſa acies, vix pedem victori equo, & ungulam dimiſit facilem, ita arctè, ceu deprecante facinus cruore, ſtringebat pedes. Iacuerunt membra ingentia, & oſſibus preſſerunt terram, exanimes quoque adhuc ad terrorem relicti, cum diſtrictis mucronibus armatæ manus enectorum, primos referebant colores; viſebantur fractæ vaſtis in mortibus haſtæ. Vobis hæc obſonia, & geniale veſtris colubris pabulum inferorum

Sereniſ in pugn fortitu

Pericul non ſubt uet.

Strages ſtium

 Deæ.

Deæ. Exangues famè perpetuâ, angues vestros saginate Turcico abdomine, ponant illam infernalem maciem, & magnis epulentur in cædibus hydri. Vos hospitalem stygem tantis laxatè aduenis, & resides permistoque adhuc quærite in sanguine manes.

chrymæ Vezyri.

Fleuit hîc, crebriùs risu solitus, quàm tormentis explodere christianas vires, fleuit inquam Wezyrus, æquè sale mordaci, atqué puluere violentus. Eliquauit illa saxea palpebra repentinam doloris scatebram, dedit pumex aquam; si lachrymas esse putabimus & nō malitiæ tela jaculante oculo sparsa. Fæminea nihilominus hæc ultio, super accisas vires plorare, cū aliundè suppetias non licet implorare. Præficus hic suorum funeribus Ductor, omnibus ex clade eiulantibus, ille solus debuit affudisse lachrymas; nempè Cocyto lachrymis manante fluuio addendas, ut auctis aquis celerior in stygem suis esset transitus. Eia sodes! ubi nunc illa tua crista, quâ cælum verrebas, & terris verebaris? ubi nunc illa verba potentia quondam? ubi ampullata semifracti verbi tonitrua? Siccine singultatis sonis puerilem nūc fateris Martem, more infantium solutus in lachrymas? qui petulanter in lusum prouocant, & modicum tacti infinito eiulatu vulnus deplorant. Vide deiecto in terram oculo infra victoriosam IOANNIS plantam, deprimi tuam Lunam, quæ tumido cornu ventilabat prouincias. Non fabula tandem est, bobus lunam vehi, ubi è triumphali curru, in pigriorem ac humiliùs gradientem descendit sexigam.

a eius nocturna.

Imò alacrior solitò Planeta hic radijs quibusdam arcanis unâ nocte, unà cum equo in fugam abstracto Wezyro, visus; nescio quid Vrania, aut Mathesis de cælesti censebit, ubi Turcica adeo velox Luna. Hæc est ultrix superborum Nemesis, ut à fastigio detrudat tumescentes! hæc iusta sontibus Rhamnusia, eò funestiore casu elidi fastuosos, quò honoratiùs fortunæ extollebantur gremio!

luna e- variat.

Nutricis more lactat, fortuna cū absynthio papillam perunxit, acore strangulat. Sæuior plerumqué in eos, quibus suauiùs arrisit. Né crede lætis, fortuna protinùs exeret seueriori fulgura turbine, vultumquè laruatum sereno, fulmineâ capetabit irâ. (*Auanc.*) Magis sentiunt huius Deæ seruitutem, quā seruitio sunt oblectati, qui nullo violati infortunio, nec unquam fatorum iugo collum subiecerunt, nec callum à pressura obduxerunt. Solenne hoc illi ludicrum, ut modò felicibus

consu-

consularem imponat trabeam; modò ad infamem restibus appendat trabem. Attollit secures in honorem, ut ereptis à lictore, tandem ipsa sæuiat in Consulem; circumfert in curia fasces Iulio, en tandem fascibus vapulat ille suis. Ad scalas Gemonias eleuat capulares, cum quibus à puero ante prætorium, tandem per honorum gradus in adolescentia lusit. Desponsata Polycrati etiamsi in mare proijciatur, diuortium recusat, & tandem cum ei nihil ad summam restet, præfocat reste. Longi pœnas fortuna fauoris exigit à miseris; quæ magno pondere famæ res premit aduersas, fatisque prioribus urget: (*Lucanus.*) tanquam pœniteret eam prioris obsequij, nouissimâ indignatione suum affectum prodit. Hæc est appendix felicitatis pendere eos in laqueo, qui in admiratione sui orbem suspenderant! Sic instabiles Dij & lubrica sunt in sua fide Numina, né diu teneantur. Prostituta Dea fortuna impudentiam habet, & perfidiam amoris, abiectis in te affectibus, non difficilis unicuique adhærere. Ita funestum spectaculum calamitatis exemplum Wezyrus, ducitur ex alto deiectus culmine, qui modò sub pedibus terras, & sceptra patensque littora ad Oceani, sub nutu viderat æquor. (*Lucan.*) Quæret fugitiuus viarum præcipitia, cui non ita pridem lubricus auro, & serico tapes, iocoso errore fallebat gressum; tabescunt ab equorum mephiti delicatæ nares, quæ Idumæo orbe omne balsamum exsuxerunt. Numini illi barbaro, cui Sabæis thura exspirantia siluis, cultus suorum adoluit; puluerulentam nubem ungula equorum in nasum excutit. Et cum delicatissimi, viuacissimus sit sensus, ipsas tangentem medullas dolore expertus fortunam; & post ingentes torturas cordis, lachrymis fassus est tyrannam. Sed combibe lachrymas, gusta quàm amaro symposio potaturus eras gentes; porta dolores, quos nobis illaturus fuisti. Nouam crocodyle ex tuo Nilo aduexisti naturam ideo profusus in lachrymas, quòd hominem a Deo missum non deuoraueris, credo cachinnaturum fuisse viso Christiani exercitûs trunco. Frendeas nunc dentibus, quòd non frondeas in laureas: liceat tibi satis rabire, quòd propudiosè cogaris abire: liceat contabescere fastidio, quòd ab alto trudaris fastigio. Tu verò multo cruore exsatiatos enses reconde triumphator miles, jam eluxatos armos, & fessa arma permitte feriari; hoc victorioso passu Her-

culeis iter à metis ad Iapygis agros, vincendo emensi sistite gradum. Arma & iras ponite, hucusque iratos hostibus, decet amiciores esse relictæ eorum fortunæ & supellectili. Nulla vobis acies tantùm prædæ, famævé parauit, iam famâ potiti, incumbite (*ductores sic vocant militum*) reliquijs, ut hac mercede repensi acrius pugnetis. Nulli enim ita est exosa vita, quin eâ castrensibus ærumnis in metam ponat, si & in nullo exinde habendus est, & nullum habiturus pretium. Pænitet porrò, non pænitenda agere, ubi nullum aut lucri, aut gloriæ speratur suffragium. Geminato hostilem palpebram nudatus mucro perstringit fulgore, si hinc natum ad cædem, hinc ad mercedem, fulgurat metallum. Ideo in somnes ducuntur in excubijs noctes, ut cũ aliis aurora, militibus aurea hora stipendij affulgeat. Ideò ferreum militiæ sæculum auspicantur heroes, ut in aureo requiescant. Non terrebit militem Bellonæ arena, si in pretiosius Pactoli sabulum speret se descensurum. Proiecerat non solùm victam malis artem oriens, sed diuitem insuper commeatum, cui dum miles incubuit triduo quod auferret habebat; plena metallis castra patent, raptumque ex gentibus aurum hîc jacet, Eoasque premunt tentoria gazas. (*Lucan.*) totque regum fortunæ simul collectæ, victori cedunt. Suspenso naso ducuntur mancipia, quibus mæstus vultur insedit faciem, aquilas non audent videre Polonas. Vinciuntur catenis, quia iam Parcæ ferratis pensis eiusmodi luctuosum ipsis euoluit sæculum. Pudet ipsum muricem in captiuo tergore, ut ultro defluere brachijs vidisses pendulum. Rubrum quod in vinculatis radiabat mare, à verecundia hoc nomen maximè merebatur, ubi libenter iterum ex captiuis in suas sese abscondisset conchas. Soli nummi quasi ex captiuitate barbarica liberati, & ergastulo scriniorum missi, aliquid suauiùs in manu victorum sonabant. Nõ institores nihilominùs Poloni ad bella vadunt, ut exiguo ære venales proponant animas, non stipendio commensurati Spiritus, sæuâ ferrei Martis nundinatione prostant negotiatori hosti: sed sola merces bellandi gloria, & magna Ductorum Nomina generosas indoles in sexcenta alliciunt discrimina. Patuit hoc raro imò à sæculis primo SERENISSIMI PRINCIPIS IACOBI exemplo, qui horrorem prælij sui præsentiâ, & personali officio in animis commilitonum ita demulserat;

[margin, cut off:] ...liti dan- ...ipendia

[margin, cut off:] ...olia & ...da ex ...ictis.

[margin, cut off:] ... tamen ...manubi- ...m, sed ...um e- ...plo mo- ...ur mi- ...ites.

[margin, cut off:] ...nissimi ...ncipis ...COBI.

ferat; ut nemo eligeret vivere, eligente mortem Principe. Et verò, coelo & inter tonitrua conceptum nomen IACOBI, attonabat hostem non minùs ætatis elegantiâ, quam vehementiâ & experrecto vigore. Stupebat rudis barbaries: quæ species membris! quàm martia fortem bella decent, placidæque tamen non asper oliuæ! tacitumque immurmurabat agmen: O decus! ô proles nulli aspernanda Deorum! (*Barclaius.*) Gēma illa Trojanæ militiæ Iulius, non sic à suo Ænea militares animos per disciplinam transumpsit: Non sic Achilles leonum & aprorum medullis pastus, fortem animum à cibo nactus, sicut à suo *Seren. Parente Princeps noster.* IOANNIS & MARIÆ Filius, ex ipsis natus, ab ipsis nutritus Gratijs, fulmineum tamen non suppressit nomen, quod in ipso lustrico fonte exarsit illi ad gloriam. Nullum non gloriosum momentum, nulla non palmaris hora Principi nostro; talibus enim triumphaliter viuere, & trophæis computare annos datur, qui jam in cunis augurali honoris manu designati ad eximia. Iam hac ætate Diomedeos etiam ausus posset reprimere magnus olim futurus armorum Præses; Iam Gigantum furias adolescens hic Iupiter sciret fulminibus domare, cum ad sola sufferenda monstra sit superstes; nec viliores illi deceat immolari victimas, pudet enim congredi cum vinci parato. Quidquid tamen PRINCEPS SEREN. magnanimitatis, aut famæ tributum habes, necdum te sufficienter celebratum credas, donec ad corollarium laudū tuarum, imò pro argumento gloriæ addatur, quòd IOANNEM III. Poloniæ REGEM habeas Parentem. Adeoque non lædat Te hæc veritas Princeps optime, quam audaci calamo exprimimus: Te nihil plus, aut habere, aut habiturum à fortuna, à natura, ab ingenio, ab industria, quàm tuo SEREN. Patri indultum vides. Iam artes belli, ab hoc bellatore didicisti; nobis spectantibus manuducebaris, & paterno hortatu minimum impetum frenare docebaris: Huc decus, huc nostrum lateri te iunge paterno, & me disce nouum Martem tentare Magistro. (*Sil. Ital.*) adhuc docendus eris, tenere Sceptrum, iam eruditus ad gladium. Et ominatò, hoc votum vates effundit calamus, quia toties in regiam adorationem Tibi inflexus, quoties in minimum circumactus iota, præsagiret futurum, quod præuenti anteuertit cultu. Non disparata gaudia ferebat tibi

Sereniſsimi Alexandri Principis. REX SEREN. & ALEXANDER unicus inter alios filius; ſimiles fortunâ pares virtute, diſtinctionem nec Scotus inueniret inter fraterna attributa; alternuſqué animæ cum Caſtore Pollux, non ita animâ conueniunt, ut magni Principes ingenti animo. Bacchus & Pallas vix ſibi germani credi poſſunt, unius licet parentis ſoboles, nam ille ex pede, hæc ex cerebro genita: tu magne Iupiter difformibus genethlijs nullam genuiſti prolem, quæ non ad gloriam viueret. Dediſti nobis ALEXANDRVM, & renatum diceremus illum Macedonem pro tanto Phænice principum nidum non habere. Plorauit nihilominus cum ſuo Agnomine, Patri SEREN. inuidendo, quòd infantiæ legibus diſtentus, heroicis illius facinoribus non intereſſet. Verùm auctorati Nomini & labaro illius viri eam fortitudinem prætulerunt, ut Alexandri eſſe vexillum conſtaret. Quis putamus puer iſte erit? IOANNES ex ALEXANDRO; ubi necdum pugnauit, & iam triumphauit, necdum accinctus gladio, & iam excidit potentiam hoſtium, necdum miles, & iam Dux atque anteſignanus militiæ. Hic ille eſt flos Iuuentutis, deliciæ & voluptas Poloniæ, expectatio gentium, ſpei publicæ candidatus, votorum & ſuffragij prouinciarum ſcopùs. Mores enim ipſi veluti pumice expoliti, actio omnis infantilis, togam meretur; prodigium eſt quodcunque gerit, ipſi inquam mores, ſunt admirantium amores. Quem non captiuaret animo, egregiæ præclarus ſidere formæ, ubi ita ſibi indulſit natura, ut Deos iterum naſci pronum eſſet dicere, niſi fides prohiberet. Nihil hæc adulta infantia diſſimilis gemmæ, quæ adhuc incluſa conchæ, & iam ſuum habet pretium. Aurum optimum, nondum in fornace coctum, nondum percuſsâ in formam maſsâ, & iam pondus habet. Sic generoſæ indoles in ortus aſſurgunt ſuos! ſic vitis ſuam ulmum amplectitur, ut ad menſuram illius excreſcat! Quamuis ſubinde maiorum faſti, ſunt tantùm minorum faſtui: recitamus noſtri generis falſam fabulam Iouẽ, cum cœlo inepti ſimus. Mores, non primores deberent nobis glorioſum conciliare nomen, nos nihilominùs iactamus effætam titulorum vetuſtatem, & vetulam monſtramus auorum famam, vegetiorem immeriti. In Principe noſtro Sereniſſimus Pater totum ſe miratur, & quaſi ſe ipſum amat, imò & Reſp. Polona numero tantum, non virtute,

alte-

alterum expectat in ipso IOANNEM; dabit & ille nepotes, æternam terris sobolem, quæ limite felix insurgat patrio, senioremque his exuat astris. (*Barclaius.*) Tu verò immediatum, post filios, regium cor ILLVSTR: STANISLAE IABLONOWSKI *Illustrissimi Ducis Iablonouii.* clauâ Hercules, mucrone Gradiuus, famâ Tu ipse, rotatione equi tui in agiles gyros versatilis, quantam vertiginem capitis hosti effecisti, collapsus exanimis fatetur. Quis te vel per ipsam castrorum caliginem, fulgurantem gladio non suspexisset? quamuis ibi puluerеam maximè nubem ungula equi Tui traheret, ubi aut acerrimè in circum versares barbaros, aut incitatissimè te illis inferres, ut haustâ vestireris arenâ. Manu & voce incendebas animos militum: Marte probate genus & factis Lacona parentem (*Sil. Ital.*) ut omnem virtute laborem vincerent. Nullum non dignum, ut ductor esset, ducebas, Tu nihilominus eminuisti, ut semideus inter homines. Ipsa majestas oris publicam exercitûs vocem exposcit; diligimus pariter, pariterque timemus. Et cum pulcherrimus esses, Gorgoneo vultu hostis te esse credidit, adeo fulgurabant Marte oculi, geminum vibrare Cometen ut credas, summaque in casside largus undantes voluit vertex ad sidera flammas. (*Sil. Ital.*) Triariam hîc tuam cohortem tuis animosam ausis, nihil non egregium egisse decuit; adhuc post excidium Chocimense, non excidit Turcis fortitudo eius, dum unica & sola hastis obnixa, etiam vallis expunxit obluctantes. Tu verò tantorum auspex & apex virorum, ubique funestus Thraciæ, damnosus Orienti, dum non tantùm militibus, sed tuo quoqué caballo calcar in hostem adderes; nulloqué discrimine notum, Dux an miles eras. (*Ouid.*) Proximum Marti caput ILLVSTRISSIMVS VESPASIANVS *Illustriss. Ducis Sieniawski* HIERONYMVS SIENIAWSKI æquè genethliaco sanguine atque cruore hostili verè purpuratus, sed parentalem iam memoriam à funebri calamo poscit. Aureis semper nomen hoc scribendum literis, nunc nigrâ sæpiâ, ipsis in eius mentione, vocibus, atram induit togam. Æternatura illum gessisse ad Viennam constat, siquidem illico ipsi data æternitas. Angularis hic erat Poloniæ lapis, vel ex Hieronymi saxo armata dextera liquet, ad quem offensum pedem semper barbari retulerunt, sed amisso capite. Reliquos heroas magnos, non excludit panegyris à debito gloriæ participio, sed meritis seorsiuos honores, aliorum *Laus uniuersæ militiæ nostræ.*

pennas

pennas relinquit, omnem in genere & indiuiduo venerata militiam. Omnes enim Lacones appellandi essent, nisi Polonum nomen iam gloriosius esset, nec exoticâ ampliùs egeret antonomasiâ. Quemcunqué legionarium, quemcunqué cohortium extranea vidisset palpebra, Marte iurabat genitum; lacertosa illa brachia fulciendæ fortunæ, vel euertendo mundo paria; illa pectora chalybe prorsus solidata, & Spartanis viribus firma. Omnis cuneus ad diffindendum hostile robur, nullus manipulus non fertilis gloriæ. Atrox ille campus videri debuerat, & præsentâsset nemus quoddam sarissarum, aut portatilem hastarum siluam, quemadmodum area illa, ferreo igne solaribus succenso radiis arsisset, ut dubiam solis ipsius palpebram euerberaret, dum nudi seges Mauortia ferri ingeminat splendore diem. Sed non ita decus quàm robur nostrum militem iuuat, non splendere sed rigere auro & ostro solet. Thoraces siculo effecti malleo, ferrea Parcarum indusia militem non sponsum iuuant. Formosa fortes arma timent viros frangiqué nollent. (*Sarbieu.*) Sparus & nodosa quercus Herculeam armet dexteram, gemmæ & aurum thalami supellex non castrorum. Picti sunt timores, aduersus hostem, coloratum pugilem prosilire; aurea formido, bracteatum & ostro in futum habere æmulum; iucundum discrimen, unctum & balsama halantem aggredi. Scenicum periculum, plumatos & bysso indutos nancisci hostes. Procul hinc procul Ganymedes, poculis dirigendis, non domandis populis, aptiores, carchesijs geniti, inter symposia victuri à vino, non à vinco, laudem metientes. In nostra militia, quoscunqué sibi Mars conscripsit, Achilleá pelle omnes elegit, ferreos ad omnem iniuriam, in Ledæ plumis nutritos, castris Sybaritarum donat. Omnes hic Pellæi, sed à pellendo hoste; omnes pomposo nomine Pompeij; Omnes Neruæ, quòd non eneraes; omnes Æneæ, quia ære solidati. Vix Lucina euoluit fascijs, loricas adaptat Bellona, pubescit castris miles, galeâqué teruntur nondum signatæ flauâ lanugine malæ; ut quod hyperbolica de Annibalis milite iactat veritas, hoc de nostro securiùs asseramus; non membris sed armis constare Polonos: Né nocte quidem clypeiué ensesué repôsti, non pharetræ, aut iaculum, & pro membris arma fuère. (*Sil. Ital.*) Nec iam durum, duratis ad omnem iniuriam viris, sub puro Ioue Martem ducere, &

Militem non decet esse delicatum.

velu-

veluti ex Spartano Cothone miserias haurire. Nulli veriùs dat Deus niuem sicut lanam, quàm militi, dum Edonas hyemes velleribus labentium niuium tectus perseuerat, tam molle quia cæleste stragulum hyberno cubili nactus. Lauacra & thermas in ipso sudore habet, ad Baias remittit Heliogabalos, illum leuis egregio puluis in ore decet. Neque senectus exarmata, nec requies æuo; usus vitæ abit in armis, annos bello consumimus, & damnatum viuere paci, stant prima inter signa senes, lethumque lacessunt. Culicij panes oblectamenta castrorum, saccarum & aliæ dapsiles illecebræ, aut quæsiti sub orbe extero cibi, martiali ventriculo nociui. Luxat enim virile robur imbellis luxus, elidit blandus hic athleta, fortem inter amplexus animum. Vno ipsius fuso, à nullo unquam aut fusus, aut confusus Hercules, in sæculorum memoria vapulat, cui difficiliùs erat amatoriam non neuisse colum, quàm draconum fregisse collum. Ignaui bellatores, quibus bella thori, & circumuallati culcitris, credunt se inter valla sedere. Nominati, non nati heroes, ad telas quàm tela aptiores; quibus generosior Deus inhabitat pectus, non Sirio anhelantes campos refugiunt, quòd perustâ facie, non erubescant se soli monstrâsse, non frigidum orbem, aut hyperboreos soles metuunt, nunquam frigidâ bello dexterâ. Ita nobilis & virtute & stirpe populus barbaris congressus, non inferioribus certè, si viros & vires metiaris. Euersa tamen fortitudo gentilis, auersa agmina, fugientes insequẽtibus prodromos ad gloriam egerunt. At virilis Polonorum mucro, ubi crudam capitum messem stirpitùs totondit, licet in culmo iam haberet fortunam, clientem tamen herbam porrexit hostis Monarchæ nostro. Sculpite sæcula non moriturum in æterno adamante carmen, quòd posteros doceat, polonam virtutem sibi ad gloriam, vicinis ad salutem mucronem stringere. Narrent hoc in erudito volumine Maronis ora, testentur in columnis, Myronis æra; surgant audacia usquè in cælum verticem efferre pyramidum saxa, regale attollendo nomen; radat Phidiaca manus scabiosas rupes, quibus incidat Polona acta, & erudito vulnere sauciata saxa salutem orbi restitutam loquantur. Tu subiugata Turcia, messes Cilicumquè Arabumquè superbis merge rogis, surgat odorata nubes nouo orbis Numini IOANNI III. Vienna saluata iugales Hyrcaniæ leo-

Castrorum ærumnæ nostris no[n] difficiles [a]d ferendum

Militi voluptas exitialium.

Aeterna fama exsu[f]flatis peri[c]los

nes

Viennenses liberati salutant Liberatorem Serenissimum.

nes fræna, vehant triumphatorem submissâ iubâ intra respirantia ab æstu mænia. Pandite conclusos postes, demite feras, vectes auferte, Vrbem reserate Victori, Viennensi assertori Viennam recludite. Et primò rediit in Vrbem anima, veniente Monarchâ nostro: deiectæ turres, & mutilatæ in culmine suo querebantur se esse, coram tutore suo sauciatas: domus semisepultæ porrigebant manum leuanti Principi. Alumna Numina, & funestati in aris, pulsique ex templis Diui tanquam ad sociale Numen conuenire cæperunt. Scissa in rimas mænia, fissuris ipsis, querelas in hostem mittebant, petebantque né vel caudam hic coluber traheret non percussam, qui etiam in petra, contra Salomonis paradoxum, viam reliquisset. Vrbs æquæua polo, vix non æquata solo regalem manum ceu basim suam basiabat. Municipes hucusque pulueribus & nebulis præclusas fauces tenendo, primò in laudes regias vocem tollendo, respirium traxerunt. Extemporanea cuiuis facultas oratorem fecit, nec meditatâ aut compositâ oratione facundus, sed dictante lætitiâ, ipsa se præcurrebant liberatorum verba, unum alteri inuidiosum, quòd priùs regalibus influxisset auribus. Solutis tunc esse in affectu & oratione licuit, tanquam si etiam ipse sermo ex captiuitate, & obsidione solutus, liberior esse cæpisset. Omnes loquebantur tacendo, & hæc satis in tacito signa loquentis erant, quia quilibet suum saluatorem verbo mentis declamabat. Cæteri quibus promptior pupilla in lachrymas, quàm lingua in Rhetoricam, pathetici erant, oculis in lachrymas solutis, & pro lachrymante gemmas Lycorme, stillas vectigales pendebant. Nemo felicior illo, qui fimbriam vestimenti tetigisset, miraculosum extra Euangelia Christum nostrum testantes. Certamen ingens oriebatur inter cohortes, nam amoto hoste, ipsi æmulantur qui primus vestigiis accumbat triumphalibus. Prolapsi ad pedes, primò suam quietem nacti videbantur post assiduas velitationes. Auelli non poterat conferta multitudo ab adoratione victricis plantæ, undequaquè certatim regio lateri sese admouebant, & attonitos hucusquè periculis oculos, maiestate victoris recreabant. Lætitiâ eliquante lachrymas, distillabat palpebra ineffabile gaudium, fletu supplebatur, quod voci defuerat. Arma rigant lachrymis, singultibus oscula rumpunt. (*Sil. Ital.*) victorē gladium, quemadmodum finitâ messe,

Saluatur certatim.

falcem

falcem operosam colonus Cereri, ita illi Marti consecrant. Ita fabiumque decus, fabiumque salutem, & magnâ memorabant voce parentem! solus vocat Annibal hostem, solus Machometes tyrannum Ioannem clamat. Te ipsum hîc mirari deberes REX SEREN. Si tibi soli non esset solitum, quod apud omnes creditur miraculum, nempè diuinitatis hæc est prærogatiua, mundo miracula esse, quod Deo natura. Mirare tamen opus dexteræ, & dexteritatis tuæ, mirare incineratam planè urbem, à te à ruderibus reuocatam, ciues Saguntinis. prorsùs cōfligentes fatis, ereptos; fortunam Austriacam, ad natos ex suo nomine Austros nutantem, stabilitam; fortalitia & muros iam saxeis artubus suis, & artibus mysticis luxatis ex ruina assurgentes: Quantùm profueris, quantam seruaueris Vrbem, attonitis metire oculis. (*Claudianus.*) Et tu Polonia altiùs iam ingredere, & cothurnato passu Capitolium honoris ascende; habes Iouem tuum SEREN. IOANNEM habes fulmineam auem, quæ cælo nomen tuum sospitet. Nunc, nunc tetigit summos vertice Roma Deos. (*Ouid.*) Quidquid olim, vel amisimus fortunæ, vel admisimus infortunij, totum id reparauit Monarcha noster, restituit stilico cunctos tibi Roma triumphos, hæc omnes reuocauit adorea laurus. (*Claud.*) Confæderatæ Erinnes,& sociata mala aduersus Poloniam olim coniurauerant, ut in uno corpore repetitas mortes subinde vidissemus. Effuderat super nos bellicosus Boristhenes, rusticū Martem, & tota Propontis armatis in nos consurrexerat pagis, ut infra illas secures colla submitterent Quirites, quæ findendis hebetatæ truncis, & præcisis fouendo igni fasciculis virgatum, nobiliorem ictum in consulares vibrauerunt fasces. Rastris armati, ex rostris Dictatores pellebant; fustes contra hastatam militiam rapuerunt, donec ferrum nôsse cæperunt. Pudebat pugnare, & agrestis credebatur victoria, plebeius triumphus, vicisse, & tamen rusticissimo fato interire debebamus, donec versis ad prospera Dijs, agrarius Mauors, iterum bubulcum coactus agere, & feriatis hucusque tauris iugum aptare, quod super colla iam iam suorum Dominorum tenuit. Inter hæc armata hyems Septemtrionis barbari niues non populos, vel multitudine, vel debilitate, immisit numerosos, qui ad feruorem Polonum colliquescerent. Molesta nihilominùs illa tem-

Comparat veterum Historiarum cum præsenti:

pestas,

pestas, & tempora fuerunt, cum & modicum gloriæ imbelles triumphare, & multùm fastidij in prouocantem & simul fugientem toties impetum exerere. Verùm & suem trucidare, fama Herculi, serpentes ac insecta lacerare, inter trophæa, & Polonis Moschouiticum draconem enecuisse Herculeum facinus. Eruperat simultanea ex vineis Hungaricis & Bacchus thyrso armatus Martem præferre volens, sed non idem expertus vitem, quod vitam alienam præcidere. Quid verò commemorem illas Scythicas Eumenides, & ingenia Acheronte sub imo reperta? rapiendis animabus ita assueta gens, ut plures Tartaria, quàm tartara, videatur habere Charontes, qui bonos manes in illam captiuitatem auehant. Sic agminatim, & datis sibi manibus hæ furiæ inuolauerunt Poloniam, & ab omni angulo incendiarias faces iniecerant. Fumabant undique villæ, non vile regni detrimentum; volatilia tunc cernebamus fortalitia, ubi à radicibus suis euulsi muri, cælo propinquabant; nudus ubique mucro nesciuit vaginam, nisi in humano identidem absconditus iugulo. Extinctum nihilominus incendium undequaqué flagrantis patriæ, eorum ipsorum sanguine qui sulfur & fomitem dabant; veluti fulmen illis ipsis sopitum nubibus, quibus exsilire in necem parabat viuentium. Omnes hi Tibi sunt exsudati exantlatique labores REX SEREN. omnibus ita accurrebas oportunus, ut unus decies esse videreris, nouum Philosophiæ argumentum porrigente virtute tuâ, cum verè diuinitus replicari videreris, actiuissimus iam tunc, præsensque passis, omnia strenuè peragendo, ut vulgata fama, & vox patriæ communis esset: quem merui te non sudante triumphum? (*Sil. Ital.*) Vicisse tamen videtur non modò hostem, sed & se ipsum Monarcha noster, hostem gladio, seipsum gloriâ. Veteres tumuli, postquam in laudem illius surrexerunt, muto perstant cespite; nunc orbis armatur in trophæa hoste exarmato.

Perfertur umor de ictoria. Pendebat interea animis patria Patrem suum sub ictu fatorum stetisse non ignara, imis vibrabat tremor ossa medullis, & aculeatus sanguis venas compunxit toties, quoties in mentem discrimina subiérunt, & lapsum subinde animum lactante spe resumebamus, ubi multis praxibus Polona virtus innutrita metum iubebat ponere. Et non tantùm animo pendebamus, sed animam quoq; pendissemus pro salute Saluatoris nostri, omnia

illi

illi timentes, omnia ſperantes, & cum nihil certò poſſemus ſperare, deſperabamus nihil. Quamuis autem metu anxijs omnia vertuntur in portenta, & qui formidat timenda, eum cogit, quæ fieri poſſunt, facta putare timor; tamen laborantem in ambiguo animum ſuffulſit præſumpta felicitas Ductoris. Quare iraſcebamur nobis ipſis plerumq;, ſi deſperabamus inuictiſſimum potentiſſimumqué Monarcham victorem euaſurum. Et ecce dum hæc pugna affectuum ſuam exercet arenam, diſtulit in orbem uniuerſum fama, quod bellatrix non differebat virtus; vulgauit non vulgarem gloriam; totidem illa tubis promulgauit victoriam, quot Bellona, cohortabatur prælīū. Id tamen ita veloci Pegaſo vehebat fama, ut ſimul vinceretur ad Viennam, ſimul triumpharetur per Orbem: rumoremqué ſui præuenit laurea belli, ſimul congreſſum, profugum, captum vox nunciat una. (*Claudian.*) Dij boni! qui Tibi VICTOR SEREN. non ſunt habiti, vel qui non forent habendi triumphi? quæ amor publicus non architectatus pegmata? quo acroamate, quâ inuentione Pallas tuæ non ſudauit Bellonæ? Sed Tibi quæ poterat pro tantis ciuica reddi mœnibus? aut quæ penſabunt tua facta coronæ? (*Claudian.*) Tamen importent ſideribus nomen IOANNIS, coloſſi; Ioculares ignes inextincto famulentur officio & volatili alacritate confractis lateribus crepent præ lætitia; puluere & nitro grauida tormenta, magnos enitantur fætus, qui vix editi in lucem, viuere triumphatori deſinant. Accuratiſſimus itaqué calamus quas non fingebat laudes? ſi fingendum erat aliquid, omnibus manu virtutes tuas palpantibus, nemine verbo. Nos quoque non obeliſcis impreſſeramus, ſed tabulis cordis heroica facinora tua REX SEREN., pendebamus, quamuis ſolenni plauſu non appendebamus mille elogia, & tacito triumpho è memoria recitabamus: Ipſa ſepticollis Vrbs, ſi hucusque habuiſſet Capitolium, eliminato Ioue, IOANNEM poſuiſſet, ita omnis ſe tibi Temeſe dedit hauſta metallis, & quæſitum Praxitelis ſcalprum, quod circa equeſtres ſtatuas deſudaret. Petrus ipſe amputatâ pro Chriſto dimicans, Malchi auriculâ, ſatis bene audiit, nunc & ſuâ utraque, & hac tertiâ arrectâ, auidiſſimus IOANNIS nomen excipiebat. Optâſſent nunc Auguſtinus Romam triumphantem videre, quæ ſuis exiliebat ædificijs, nocturnum àërem

Triumphi vſq; Sereniſs. habiti.

Romæ.

ſpar-

ſparſis undique flammis illuminando, né deficeren t dies illæ triumphales, ſolis munere artificioſi fungebantur ignes. Ipſe ſpiritualis Monarcha INNOCENTI: XI. allato ſibi à REGE SEREN. vexillo ipſius Wezyri faſſus eſt, ſemper Baptiſtam eſſe vexilliferum Chriſti, unus Ioannes Agnellum portauit in eremo, alter in bello Lunam ſuſtulit, ut frontem innocentis animalis Lunæ cornibus armaret, ſi infra pedes ſatiùs non eſſet proijcienda. Pridem etiam deſiderabat Machometes vexilla explicare Romæ: ecce nunc barbari quod voluiſtis, habete.

[V]exillum [M]achometi [R]omam [m]ittit Sere[ni]ſimus

[Flo]rentia [tr]iumphat.

Omnem floram ſuam, Florentia, in ſerta & coronas Victori decerpſit, utpote ſitu & nomine Vrbs amœniſſima, nihil non jucundum prætexuit. Effuſa compita, populos non tenuit poſtis, vocem ſuſcitauit lætitia, ubique Ioanni acclamatum, ubiq; *Vox clamantis* & clamantium illa audiebatur.

[Ve]netiæ ap[pl]audunt.

Et ſi quando ludibundum mare, agitatis ſubſultat procellis, tunc Venetica Thetis hilares Nympharum choros percuſſis inſtituit aquis, ut vel victoriis hilarata, vel hoſti irata ſpumaret rabie. Natatilis illa Ciuitas magis lætitiâ tunc, quàm aquis circumfluebat, laureato tridente Ciuilis Neptunus pulſauit fluctus, decurrentibus regio honori ſtadium nauigiis complanabat vento aſperatas undas. Expiſcari tunc illius florentiſſimæ Reipub. affectus in Monarcham noſtrum, non oportuit, quando toto illo maris ſinu ſuas effudit propenſiones. Quocunq; demum annunciata prodigioſa victoria, reſponderunt trophæo incredibili Vrbes; quocunq; venit tam iucundus hoſpes, nullam domum non inuenit urbanam. Infantes ipſi & lactentes (communis fama vulgauerat) regiam imaginem pro diua effigie venerati, unus alteri, vel inter oblectabile offerri donum, lætati, vel auferri, eiulantes. Sed neq; patria exſors lætitiæ, quæ erat conſors gloriæ, & licet triumphales currus famæ vinxerit ad veſpertinos uſq; ad matutinos eam expediendo Iberos, relictum tamen ipsũ

[C]racouia.

lætitiæ authorem paſſis expectabat manibus. Vrbs Regum coronaria poſtquam illi iam dediſſet coronam, tunc ceu inter quãdam apotheoſim voluit beatos addere radios, cum proteſtatione: Digne quidem cœlo, ſed adhuc tellure morare. (*Ouid.*) Fundatorem Cracum ex tumulo caput arrexiſſe dicebatur, & magni Regum manes Sarcophagis reuixiſſe, veniente in Vrbem rumore. Gauiſa eſt Parens & nutrix Varſauia Regum, talem &

[V]arſauia.

nomi-

nominâsse Regem, cui non parco ore totus orbis eundem deinceps titulum attribuit. Postulauit & illa cum Zacharia pugillarem, ut nomen Ioannis panegyricè describeret, maximè ubi ex spoliis ditata Turcicis, in festo Transfigurationis ad Crucifixi Domini altare, captiuum vidit pendere vexillum; & tunc iterum præter montem Tabor vera transfiguratio fuit, quando de Cruce etiam Christus videbatur arrisisse trophæo; iterumq; Luna non dedit lumen suum ad Crucem appensa. Victrici calce priùs in Eucharistia, vexillum hoc conculcauit suppedaneum, super aspidem & basiliscum ambulans Dominus; donec à Ioanne acceptum, Ioanni Collegiatæ Ecclesiæ esset traditum; Argolici rediêre Duces, altaria fumant, ponitur ad patrios barbara præda Deos. (*Ovid.*) Redijt & cor in orbem Christianum, prope iam eripiendæ Imperij sui habenæ exanimem; omnes viuere de nouo cæpimus, trucidato hoste. Resedit omnis illa tempestas, & quietiori alâ placidiùs ventilabrum in elanguescentes, suspirauerunt Zephyri, amoto turbarum Aquilone, iam ferme aurium usum nobis ad suos rumores adimente. Adscripsimus autem, nos omnes, dexteræ Excelsi, & excellenti tuæ virtuti REX SEREN., Tu verò precibus & pijssimis desiderijs, SERENISSIMÆ CONSORTIS TVÆ MARIÆ: Dijs te minorem quòd geris, huc omne principium, huc refer exitum. (*Horatius.*) Oblita tui Serenissima Coniux videbatur, dum vel maxime meminisset ante aras, ita totâ illuc auferebatur mente, ut eam terris excisè, non incredibile fuerit, unde ferre auxilium Tuo Marti volebat; ibiq; magis esset anima, ubi amabat, quã ubi animabat. Apocalypticus certè est amor, omnia intuetur præsentia, siue demum ea reformidet, siue diligat mentalia ostenta. Iam non mentem, sed imaginem Æneæ sui pientissima Dido ferre videbatur; Æneasq; oculis semper vigilantibus hæret, Æneamq; oculis noxq; diesq; refert. (*Ovid.*) Omnia infesta, omnia infausta, omne fortuitum subibat animum; ipsoq; sui monstro pauidam concutiebat. Illi ictus validi, illæ machinarum belli elisiones ignium in hoc marito pectore excutiebantur. Truces illi barbarorum vultus lachrymantes incurrebant oculos, & in illa nube tristitiæ supercilij Iridem quandam repercussi à Vienna usq; pingebant ignes. Omnis deniq; acies concurrebat in animo dolentis, omne prælium in sauciato corde priùs

Vexillum in Ecclesi[a] Sancti Io[]annis ap[]penditur.

Sereniss[imæ] Reginæ [so]licitudo [pro] salute S[ere]nissimi

de priùs quàm in campo peractum, priùs Matrem castrorum, quàm Martem oppugnauit Turca; Quando ego non timui grauiora pericula veris? In te fingebam violentos Troas ituros, nomine in Hectoreo pallida semper eram. (*Ouid.*) Ideoq; quoties pascitur, toties paciscitur votiuâ altaris hostia, pia Consors, vitam & fortunam bella ducentis mariti, numen ipsum immolari faciens, ut sciremus quanti constet salus Principis nostri. Sic Deus ipse solicitatus pecuniâ, solicitati sacrâ merce Diui, cælum omne in partes tractum, ut nemo esset in illa siderum aula, qui non faueret, qui non idem promoueret, quod nostra petebat DOMINA. Vidimus non stellatam rosis, non politam auro, non margaritis onustam sacras obire ædes, signauimus semitas, & tritos calles ad fana Sanctorum reginali pede. Vidimus coronatum verticem proiectâ maiestate, in colloquium cum Deo substratum eius magnæ voluntati, vidimus procumbentem genibus Dominam terrarum, sparso capillo verrentem pulueres: Scilicet ipsa comas pectam, galea ipse premetur? Ipsa nouas vestes, dura vir arma geret? (*Ouid.*) Ea fuit violentia doloris huic Liuiæ nostræ, ut suum Pompeium Magnum, periculosâ, distentum Pharsaliâ, æquè odisset in bello, atq; amaret pace! Tantus in exhausto piæ corde Penelopes amor, ut teneras non teneret in suum maritum querelas: Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis! Nempè non modò commorari, sed & commori sibi volunt, quibus non frigida iusti cura thori. Semel thædas maritales accensas non decet nisi in busto & cinere extingui. Breuis animorum societas, ubi unius diei hospes Hymenæus, reliquum annorum tristis funestat Erinnys. Ipse REX SEREN. socialis fidei dulce documentum accepisti, quando exiuit hæc reduci clypeum, galeamq; resoluit, quando ipsa ferrato thorace exarmauit pectus. Educat, nutrit & alia mille solatia ita Tibi, atq; patriæ hæc magna genitrix. Diuos Thebarum alumnos, & patritia Numina non inuidebimus gentibus, quando augusta hæc illius proles proprijs quondam mouebit sedibus, & beatos Iulios, & cælites Augustos. Siue Polona Iuno erit nobis SERENISSIMA MARIA, Iouis filios nobis relinquet: siue magna æquoris Dea, Achilles dabit inuincibiles. Et quidem innutrit iam maternam bonitatem SEREN. ALEXANDRO, ut ille Macedonicus à sua Olympiade, lu-

[L]aus Seren: [a]b omni at[t]ributo reginali.

educan[do] Serenis[sim]a prole

de, lustra & Olympiades famæ numeret; hic à diffusis gentilibus Matris suæ fluuiis immensum gloriæ Oceanum aperiat; ab auitis ceruis leoninum robur, animiq; transsumat pernicitatē, quò magis Alexandrum illum & Achillem pateat esse apud tantam Thetidem in mores formatum, ubi ipsa in cessum motumqué tenet, fandiq; pudorem; sic (inquiens) gradus sic ora manusq; Nate feres. (*Statius.*) Nec indiget hic Alexander graui Aristotele; non indiget hîc Achilles violento Chirone; Sponte suâ se magna indoles ad egregia prouocat. Salientes in ipsa scatebra prorumpunt fontes, pigra Mæothis ubi nascitur ibi statim lacunat, ibi stagnat; & Cæsaribus virtus contigit ante diem, in ipsa aurora vitæ iam euehuntur ad meridiem, aliis ad vesperum etiam nec ortis, nec orsis effulgere. Quicunq; tantæ expectationis filium noscunt, & suaui morum illius elegantia oblectati sunt, uniuersaliter clamant: Puer ô dignissime credi esse Deus; siue es mortalis, qui te genuêre, beati; Et Mater felix, & fortunata profectò, si qua Tibi soror est. (*Ouid.* Est equidem, & ipsos olim in sui desiderium pro vocatura Deos, ipso digna Ioue, nî Ioue nata foret. Riuales regum amores, decernent studjis, ferent dotalia regna annuenti, heredem Prouinciarum scribent. Habebit Atalanta hæc Hippomenem, aurei largitorem pomi; habebit hæc Proserpina, sed meliori, quā illa Cerealis, fato genita, habebit æmulos sui affectûs hunc meliorem gladio, hunc præstantiorem arcui. Mars donabit Rhodopen, Phæbus largietur Amyclas. Plus ego fidelissimo adijciam calamo, & inter oblatas undiq; thædas, inter concurrentes Hymenæos, inter allatas in dote prouincias, sine meta fortunam signabo: Quid numerem gentes, Atlanteosq; recessus Oceani? toto pariter dotabere mundo. (*Claudian.*) Quid enim non impetraret? imò quid non imperaret tributi & vectigalis illa venusta, quæ non venit in veras nonnisi forma Deas? Dotata porro illecebris species crudele est aucupiū animorum; & illa semper plurimorum oculos prædata; quæ plurimis naturæ gratijs prædita. Parum deest pulchris vultibus, ut turpibus Titij assimilentur vulturibus, cùm æquè medullas & cor depascantur. Sic decora facies, est acies, in cuius periculo, etiam ipsi non subsistant Hercules: Sic venusta facies, est glacies, in qua lubricatus incautè oculus, tanquā in cautem labitur.

Et quidem Serenissimi Alexandri magnæ spei candidata informatione.

Serenissimæ Filiæ.

Cuius magnæ dotis uniuersum Principis orbis adorationi ... turæ.

Sed non unum hoc illex attributum omnium emouebit animos, quibus par conditio tam maiestuoso indulgere desiderio. Omnes quippè PRINCEPS SERENISSIMA insitæ Parentis Tuæ virtutes in eo te collocabunt scopo, ut orbis totius principes huc sibi collimandum existiment. Iam æmula pulchritudo Maternas imitatur Charites, iam verecundis pictæ genis erubescunt rosæ; iam subrubeo colore explicat decorem pudor, dumq; tuæ assistis genitrici: Ceu geminæ Pæstana rosæ per iugera regnant. Hæc largo matura die, saturataq; vernis roribus, indulget spatio, latet altera nodo. (*Claudian.*) Non dispar vobis (*ô matre magna filia non minor*) tenellis primo frontem accendendo cornibus, modico dum exurgit circulo succrescens luna,& pleno iam orbe ac regali facie illustrans mundum: Hæc modò crescenti, plenæ par altera Lunæ. (*Claud.*) Quid verò Augusta illa proles, cunis adhuc & fasciis non euoluta? quas spes Polonas non lactant, ipsi lactentes; votorum nutricij publicorum adhuc nutricum ulnis non egressi? Hercules sunt uterq; in cunis adhuc,sed non sinistrâ Iunone geniti; ad monstra tamen adolescunt edomanda. Non alius, neq; aliter Latonæ suæ tenellus adhuc Phæbus puerili annexus lacerto, sinu oberrat; cum Inualidum dextro portat Titana lacerto, nondũ luce grauem, nec pubescentibus altè cristatum radiis: primò clementior æuo fingitur, & tenerum vagitu despuit ignem. (*Claud.*) Quanta aliquando oracula ad cortinam & tripodem daturi sunt adolescentiores Phæbi, si adhuc ephebi docent ea ex suo nomine fata, quorum nec Cume conscia suo posset patriam solari vaticinio. Infantes sunt, & iam disertissima de se auguria promunt; innutriti gloriæ, & ipsius alumni honoris, destinatas sibi ex fortuna nascendi promittunt curules. Ex maximis quippe natos, ad humilem metam vota dirigere non decet. Hercules virtuti suæ terminales assignat Gades, triumphalem terminum magnis meditationibus in extremo terræ, quia ex Ioue genitus. Infinita est propemodum negatiuè indoles regalium mentium, sisti vel gradu, vel honore non solet, nisi eò veniat, unde plebeia virtus ipsâ sui vilitate arcetur. Leunculi magno cubili, & regalibus cunis educantur ideo, ut iubam educant ad honorem & imperium, né abiectiores facti, frustra generosiorem mamillam suxerint. Ita agrestis Lucina non sem-

...aus Seren. ...nfantum ...præsagia

...summis ...i ad ma- ...na adole- ...scunt.

per

per in templum honoris inuenit viam, & si fortuitò irruperit, non statim ad summũ altaris gradum stetit. Diu pulsantur huius Dei fores, & vix adamas obstinatus laxat postes terræ filiis: Dijs geniti ultrò beneficum lumen reclusum habent. Inter fasces & purpuram ablactati, iam lacte spei non indigent, solido fortunæ pastu illico nutriuntur; ubi alii orexim & famem honorum ferunt, linxisse vix meriti hanc illecebram, quâ Deorum sinu educati saturantur, & cum Ioue, purpureo bibunt ore nectar. Siculus Dynasta etiam non lotis ab argilla manibus Sceptrum apprehendit, figuli rotam cum fortuna mutans, ollas formare desijt, ipse vas electionis factus. Ab ubere lupæ edoctus Romulus spe orbem deuorauit: vellus aureum venari se debere credidit; quia hanc feritatem suxit ex lacte matris, ad agnos captiuandos genitæ. Sic inter humiles rubos enatæ spinæ, focus, & abiectio, terminus; vicinas nubibus, cedros ad elogia ferenda, & ad æternitatem adolescere scimus! sic vulgo exempti, necdum inaugurati, iam sibi augures magnos promittunt honores, ipsi & vates, & vades fortunæ suæ. Coronata proles, quid expectaret, quàm ab amante Patrem Polonia; amores Poloniæ? Augusta soboles quid à nobili patria præstolaretur, quàm post tantum Octauium non adoptiuos Tiberios, sed è lumbo in thronum se ascensuros successores? Voto hæc non decreto scribimus, primum tamen esto suffragium ab obligato calamo, donec felicior urna præsagientibus futuram sortem exposuerit. Et verò meruit SERENISSIMA DOMVS, ut utroq; petat diademata sexu; Reginas gignat, Reginarumque maritos (*Claudian.*) Sed arduum tibi est calame, in arcana fatorum inuolare, retrahe stylum, & preme adhuc fugientes barbaros, viam triumphalem non desere, quam usque ad Strigonienses portas gloriosus emetiebatur Monarcha passibus distinguens victorias. Non hæsit enim ad Viennam indefessa virtus; remissis iam arcubus Scytha elapsus fugâ disparuerat, nostrorum diligentia primò omnem intenderat neruum. Irrequieta porrò virtus est, solusque pudor non vincere ferro. Minuti animi est, semel in vita cucurrisse pro laurea, & semper deinceps sub eius umbra respirare. Vnctum ceromate pugilem adhuc iuuat in arenam descendere, quamuis unâ inclytus euasit monomachiâ. Laudamus Argo quæ non solùm in Colchidem nauigando, insolen-

Sereni[...] Mona[...] à Vien[...] moue[...]

ſolentes euicit Auſtros, ſed reportando etiam diues ſpolium, ad pyraticam eruditum Neptunum ſubegit tonſis; ludibrium pelagi,quæ cum uno depræliata Africo ingruenti verò Boreæ ſubmittis ſuppara, laceratisque artubus diſcerpta natat. MONARCHA noſter numeraſſet inertes, ac actos ſine Marte dies, & ſtare puduiſſet. Ponebat tamen proſecutioni famæ obicem, aut inuidens, aut non bene videns futurorum ingenium. Statuebantur in oculis ſimulacra timorum, remouebant audaciam, ſi fuiſſet mobilis, reſumendæ hoſtium vires; cum ſerpentes etiã, ſi vel palpitent caudâ, adhuc formidoloſi erunt veneno; Exutæ cibo & pabulo regiones, caſtris (dum famam ſibi ominabantur) famem minabantur. Sed placuit Monarchæ noſtro paciſci vitam pro laude, crediditque viris ignobile lethum belligeris, in pace mori. (*Sil. Ital.*) Non heroicum id fatum, intra ferrum conſenuiſſe, & in plumis expiràſſe. Turpe illos in umbra viuere deſiiſſe,qui ſub ardenti aſtro Syrij non ſeſe in umbras occuluerunt. Pulchriùs teſte cælo mori, & viuacem animam in morte armata per Elyſios ire, quàm exangui corpore tenuem ſpiritum in illam ſilentem regionem deſcendere. Et iam felici paſſu Viennâ proceditur, effuſus undequaque ſanguis vadum fecerat, ut aſperſione illius bellaces animæ elephantinos in ſe viſo cruore Spiritus ſentirent. Equi ipſi verſabant pedibus cadauera, & vindici calce reſecta pulſabant crania. Sicque dum explicatas, & ſerto triumphali florentes copias promouet ex campo fortunæ, ad aliud ſtadium gloriæ Rex ille regum, & ductor ducum Agamemnon noſter, obuiam habet Auguſtiſſimum LEOPOLDVM. Quid hic egiſſe putabimus? imò quid non egiſſe lætitiâ Magiſtrâ illas imperiales mentes? quo officio,& quàm ſuaui alloquio, utraque maieſtas in amplexus & ſinus influxit? Nulla ædes, nullum, quod manus feciſſet humana, capax erat lætitiæ habitaculnm; nonniſi ſub ipſo illuſtri ſiderum laqueari potuit contineri maieſtuoſus ille Monarcharum congreſſus. Acuebat ſpectantium admirationem, numiuum terreſtrium familiare commercium, rapiebat oculum, attonabat palpebram utraque maieſtas. Miles Polonus totus animo, totus obſeruatione, in vultu, in graui modo agendi AVGVST. IMPER. Germanus Senatus populusque Imperialis vix unum ex mortalibus iudicabat MONARCHAM noſtrum; tot argumentis flecten-

t obui- ugust. er. (margin)

ua in- los statio riu. (margin)

ctentibus intellectum, quin ei diuinitatem tribueret, qui hominum conseruator esset. Ex maiestuoso vultu, simulque clementi supercilio, cui non frons triste rigens, nimiusque in moribus horror (*Claudian.*) Iupiter plerisquê censebatur. Ex martiali & ignea pupilla Gradiuum esse crediderunt omnibus prorsus Numinibus similem, imò omnia illi Numina accommoda obseruárunt. Necdum bene deterso cruore MONARCHA noster, augustam manum mutuo apprehendit fœdere; adhuc pyrio transpiratæ vestes, quid spiraret Dominus, indicabant vultus pridianâ oppleti arenâ, necdum militarem iram supercilio posuerant, ut ipsi Imperatori Christiano, nedum barbaro, formidolosum fuisset occurrere; si repentina suauitas, & insolitus decor asperatam frontem non superuestiuisset; si dulciarius sermo, & melle diluta facundia Nestorem mucrone posito non fuisset testata. Sic Iupiter armatus fulgure & crasso obuolutus àëre, amoto sipario nubium, profert serenum ex media tẽpestate vultũ Dedit nõ solùm dexterã, sed laudem quoquè Principi nostro AVG. IMPER. stipendiariam inter legiones illius numerauit fortunam: & vicissim LEOPOLDVM non ex solius vigore vocis, sed ipsius magnanimæ indolis REX noster veneratus. Curtios iam non habet Roma, qui abyssos, & voragines suomet saturarent corpore, Te AVGVST. IMPERATOR habet, qui hiante iam in Romanum exitium fortunâ, tentares illo non audente (si nunc viueret Curtius) profundos ire lacus, sed Roma tuas tenuisset habenas. (*Statius.*) Et eo tantùm iniuriam tibi accusas fortunam, quòd nutus tuos anteuertat, nec ipsâ manu attrectari patitur, primæ obsequens voluntati. Satis tamen ages, si triumphales currus barbarorum ceruicibus ages, quamuis non tuomet succides brachio; satis Austriæ, satis Romano Imperio, te illum esse, in quo viuere, & fortunatè subsistere omnes videntur ciues: CÆSAR ubiq; tuus, liceat modò, nunc quoq; miles, si Tu Roma velis. (*Lucan.*) Sed vel ex eo omnes impleuit partes, cum suas inter Monarcham nostrum dispartitus curas, quod deerat Romano Imperio parat addere ultimum Orientem. Ecce iam quæritur in latebris hostis, qui nuper damnabat ad prælium; ecce iam indagine cingi debet ille ferus leo, qui pridianis furoribus omnes populatus vicos, rugitu exanimabat. At heu infesto casu quandoq; venatio

pro-

prouenit; cedit Actæon in prædam canibus, & tygrides subinde suum capiunt persecutorem. Irruit super viatores potiùs quàm hostes barbarus, non pugnæ, sed itineri accinctos infestis petit armis, & oblatum metit insatiabilis agmen. Dispersit illã manum inopinatus furor, effugerunt mortem ex insidiis signa agressam, ut verso agmine pugnam restaurarent; cæteri, ferro urgentur: cædunt Lepido-, cæduntq; Metallos, Coruinosque simul Torquataq; nomina Regum; patritium campis commistâ plebe cadauer iacet, agere magon. (*Lucan.*) O atroces calendæ! o lugubris feria! nunquam atram in memoria posterorum exues togam, quæ funebrem nostris induisti exercitibus. O nefasta feria! verè à feriendo non feriando dicenda, ô dies atri! qui pullâ veste nuperam deformâstis victoriam. Verùm peccatum hoc fortunæ, Tuæ debebatur gloriæ REX SERENISSIME ita illa coram Te meruit, uti nos coram offenso DEO, si deprecemur, ipso amabiles peccato. Hunc unicũ fortuna actis tuis immiscuit casum, né omnia absq; fortuna, sed tuis ipsius auspicijs agere videreris. Rependit abundè triduana expectatio unius horæ iacturam, & quod dextra hosti dedit, rapuit sinistra; extorsitq; palmas, quas temerè permiserat. Sic læta periculis metimur! Sic nubila cælum compensat sereno! Delinita sanguine nupero feritas acriùs furebat, & obnixis dentibus stridorem edebant barbari, quasi iam deuoraturi essent christianas legiones, quasi mordicùs pro victoria certaturi; cũ tamen eo ipso corroserunt viscera sua & quamuis ita strictis dẽtibus ruerent, malè tamen masticato consilio doluerunt se fuisse audaces. Necdum omnem illam ex Viennensi excidio ad ad lachrymosas Cocyti ripas congregatam multitudiuem in Erebum deportauerat Charon, cum ecce recens stygias turba aduentabat ad oras, sanguineo informis culu, nondumq; remissis ensibus, & sæuæ crudelis imagine pugnæ. (*Baril.*) Eluit ipse Danubius nuperam famæ maculam, & aliquantum ex illo Martiali puluere non claros repurgauit oculos. Agnouerunt hic IOANNEM Baptistam, fluminis & sanguinis lauacro, sed in Danubio iam & non Iordane intincti, cum extincti barbari. Mors depontana extra Romam iussa, cum rupto ponte viuidissimi quiqué fluctibus hausti sua exciderunt sorte. Euadendi quippe spẽ desperatio fecerat, fugiendoq; mortẽ persequi placuit, & quam

Sed iterum ibidem funditus deletur.

è vita

è vita fugere. Expuebant in amnem animas, ne fœdi barbarorum manes illoti essent ad gloriam nostram. Rex fluviorũ Danubius sanguine decolor hucusq; nudus in aquis, tandem ex manu IOANNIS purpuram obtinuit, ubi aurum & ostrũ detraxit mersabundis. Vltores ipsi iniuriæ Christianæ Danubiales pisces, vindici morsu cadauera hostium laniabant, & correptos inter se convellebant artus. Illudentibus similes aquæ, huc illuc iactando voluebant cadauera; qualia non rubris Simois lauat horridus undis, dum Phrygias acies, aduersaq; signa Pelasgûm hinc ferus Æacides, maiorq; hinc submouet Hector. (*Barcl.*) Mergos tunc, & Vrinatores dicebatur fuisse hostes, qui simul palmam concesserunt victoribus, simul conchas, & pretiosã maris supellectilẽ pro corona quæsitum abierunt. Deleta sunt è viuis triginta millia barbarorum, ut regalibus inscriberentur fastis; felices sanè ipsâ infelicitate suâ, quòd inter trophæa nostra commemorari possint. Vnus tantùm benedicto ab omnibus Regi maledicta & blasphemias iactat Wezyrus; ignarus etiam in hoste laudari virtutem, & eripienti palmam, dandam esse alteram, ab eo ipso, qui amisit. Opprobria tamen hæc ita Christianam læserunt famam, veluti rabida procella, cum verberat nauim, ad portum promouit. Continuabant enim superi christiana gaudia, successusq; novis successibus addebant; quocunq; victrices aquilas REX noster ducit, circuit extremas oleis pacalibus oras. (*Ouid.*) Ad primum tormentorum pulsum, ianuas Strigonium aperuit, cecidit prona in reuerentiam Ciuitas, ne in rudera concidisset. Iterum Christus noster flagellauit pepulit à Sacris ædibus negotiatores, & vitam nostram mercantes; speluncam latronum, dedicauit in domũ orationis. Iterum Stephanus Strigoniensis vidit coelos apertos, ubi Metropolitanum templum à sæculo conclusum verum excluserat Numen, nunc hymno Ambrosiano personuit. Et iam laureatum hinc MONARCHA noster deducit exercitum, sola hæresis taxis obsitas difficultabat vias; & carpebat ex insidiis agmina, furem testata Martem, sed eo ipso pretiosas Polonorum animas, quod eas nonnisi furari placuerit ex abdito. Affulsit & sequens annus triumphali vestitus cyclade; venerunt diebus immixta gaudia; horæ triumphis distinctæ illuxerunt. Magnæ Legationes Magno IOANNI præstitæ; primaq; Augusta inui-

inuitabat Austria ad continuandam societatem armorum; Hispania gratulationes & officia misit. Veneta Resp. in Arbitriũ belli & auspicem fortunæ Christianæ inuocauit IOANNEM. Vix primo vere aperuit Taurus auratis cornibus annum, sub nomine ita generosi sideris MONARCHA noster eduxit ad Camenecum magnificas numero & flore copias. Stabat triumphator in campo, & nullus dignus prodierat hostis in quem mouerentur arma. Aduertit hoc cælum, & né steriliter abiret illud tempus, conflixit cum exercitu iniuriis suis, ut ex superato se ipso, daret triumphos nobis. Tyras iniquus & ripis & turgentibus aquis in limitem gloriæ Polonæ se obiecit, ut aliquid triũphandum sequentibus reseruauisset annis. Nullum in campo hostẽ, nullam ex prælio habuimus fortunam, sed omnem in Rege felici prosperitatem; cum auspiciis iterum sese regalibus annus hic quoq; induerat. Adolescebat fortassis interim gloria, utq; vel uno maturior anno euasisset, spatium ei succrescendi dedit Ioannis gladius in hostili ceruice. Sed iam quid Tibi REX SEREN. plus fortuna dabit, cum omnem se prodegerit? quid nos plus dicemus, quàm totus iam in laudes tuus contribuit orbis? Non multùm terræ restabit Eoæ, ut Tibi nox, Tibi tota dies, Tibi curreret æther; (*Lucan.*) adeo omnes orbis oras permensus es glorioso nomine. Vno Viennensi triumpho omnes exæquâsti, omnes complexus es, ut nec ipse iam plus posse agere videaris, nisi æqualia huic erecturus trophæa. O tandem ipse tuæ applaude fortunæ, postquam totus eam suspexit orbis.

Respice vindicibus pacatum viribus orbem:
Te penes est unum vasti custodia mundi
Et ius vertendi cardinis, omne tuum:
Implêsti meritis solis utramq; domum. *Ovid.*